VERHANDELINGEN

VAN HET

HAAGSCHE GENOOTSCHAP,

sedert deszelfs Vijftigjarig bestaan.

TWAALFDE DEEL.

VERHANDELINGEN,

UITGEGEVEN

DOOR HET

HAAGSCHE GENOOTSCHAP

TOT VERDEDIGING VAN DE

CHRISTELIJKE GODSDIENST,

sedert deszelfs Vijftigjarig bestaan.

TWAALFDE DEEL.

Te 's GRAVENHAGE, *bij*
DE ERVEN THIERRY EN MENSING.
1851.

Uitgegeven na voorgaande Visitatie en Approbatie der Theologische Faculteit van 's Rijks Hoogeschool te Leyden.

LEYDEN,
1 Augustus 1851.

N. C. KIST,
Fac. Theol. h. t. Dec.

EVANGELIA APOCRYPHA

SIVE

DE EVANGELIORUM APOCRYPHORUM

ORIGINE ET USU.

SCRIPSIT

C. TISCHENDORF,
Theol. Doct. et Prof. P. Ord. H. Lips.

DE

EVANGELIORUM APOCRYPHORUM

ORIGINE ET USU.

DE

EVANGELIORUM APOCRYPHORUM

ORIGINE ET USU.

SCRIPSIT

C. TISCHENDORF,

THEOL. DOCT. ET PROF. P. ORD. H. LIPS.

DISQUISITIO HISTORICA CRITICA,

quam praemio aureo dignam censuit Societas Hagana pro defendenda Religione Christiana.

HAGAE COMITUM,
apud HEREDES THIERRY & MENSING.

1851.

INDEX.

PARS I.

DE EVANGELIORUM APOCRYPHORUM ORIGINE ET CAUSSIS.

PARS II.

DE EVANGELIORUM APOCRYPHORUM USU.

APPENDIX CRITICA.

PARS I.

DE EVANGELIORUM APOCRYPHORUM ORIGINE ET CAUSSIS.

§. 1.

Apocryphum quid sit, quum ex etymologia, tum ex usu discendum est. Etymologia quae docet, absconditum dici librum sive quod ipse absconditus sit et ab usu communi remotus, sive quod cujus sit originis vel auctoris lateat aut ambigatur, sive denique pro argumenti arcana quadam natura, eadem adscivisse etiam usus videtur. Evangelia vero apocrypha quae sint, maxime inde definiendum est quod opponebantur canonicis; nisi mavis contendere primis certe temporibus opposita esse canonica apocryphis. Apocryphorum enim librorum, quae primis ecclesiae Christianae haereticis maximeque gnosticis placebat, jactatio (1) non minimam vim ha-

(1) Cf. Clem. Alex. *Strom.* I. p. 357. ed. Potter: *Βίβλους ἀποκρύφους τἀνδρὸς τοῦδε οἱ τὴν Προδίκου μετιόντες αἵρεσιν αὐχοῦσι κεκτῆσθαι.*

bebat ad constituendum librorum sacrorum canonem, quo doctores ecclesiae quum praeciperent unde veritas evangelica omnino et certo haurienda esset, tum providerunt ne amplius cujusquam fides dubiorum aut falsorum praetextu turbaretur. Ubi primum vero evangelia canonica ecclesiae consensu de tot quae circumferebantur scriptorum numero eximi coepta sunt, in promtu est alia praeterea ac nova quae prodirent ad auctoritatem evangelicam adspirare non potuisse nisi eandem cum illis virtutem simularent. Hinc notio evangeliorum apocryphorum in eo posita est quod pro originis et argumenti affectata cum canonicis aequalitate aequalem cum iisdem dignitatem affectarunt (2).

§. 2.

Qua ex re concludendum erit, non videri fuisse evangelia apocrypha antequam ipse librorum sacrorum canon in veteri ecclesia existeret. Sed male aliquis de absoluto hoc canone cogitaverit. Post absolutum enim canonem exeunte

(2) Cum hac definitione non pugnant quae leguntur apud HIERONYMUM (in ep. 7. ad LAETAM): Apocrypha sciat non eorum esse quorum titulis praenotantur; et apud AUGUSTINUM (*contra advers. leg. et proph.* I. c. 20.): Si illorum essent, recepta essent ab ecclesia. Qui enim in his auctores supponuntur, ejusmodi sunt ut si quid evangelici argumenti scripsissent eodem jure quo canonica uteretur. Neque magis abhorret AUGUSTINI (*de civit. Dei* XV. c. 23.) illud: »Apocryphae nominantur eo quod earum occulta origo non claruit patribus," modo originem dicas apostolicam.

fere saeculo quarto si quod scriptum canonici generis tum primum in publicum exiret, id non tam fidem quam curiositatem occupabat; ecclesiae enim ea jam ratio atque canonis ea auctoritas erat, ut tale Christianae antiquitatis monumentum per saecula latuisse nemo facile crederet. Itaque nec traditum nobis nec per se credibile est, in illam potissimum aetatem evangelia apocrypha incidisse. Inciderunt vero in ea maxime tempora quae primum canoni constituendo operam dabant, ipsiusque canonis quae potissimum auctoritas esset quaerebant. In dubiis enim vel ambiguis locus quidam etiam est falsis, neque quisquam certat nisi fieri potest ut vincat. Evangelia autem quod attinet, quum patrum apostolicorum aetas libris Veteris Testamenti ea nondum aequiparasset nec Justini scripta unice agnovissent, post medium fere saeculum secundum Irenaeus »quadriformi suo evan»gelio" (3) tantopere delectari non potuit nisi, — quod ipsum et Tatiani Diatessaron et Theophili opus de quatuor evangelistis (4) testari videntur, —

(3) Cf. Iren. *c. haeres.* III. 11. § 8 et 9. — — *καὶ συνέχων τὰ πάντα φανερωθεὶς τοῖς ἀνθρώποις ἔδωκεν ἡμῖν τετράμορφον τὸ εὐαγγέλιον ἑνὶ τε πνεύματι συνεχόμενον* — — Cf. ap. Kirchhofer: *Quellensammlung* etc. p. 40.

(4) Cf. Hier. *ep. ad Algas.* IV. p. 197. ed. Martian. »Theophilus Antiochenae ecclesiae septimus post Petrum apostolum episcopus, qui quatuor evangelistarum in unum opus dicta compingens ingenii sui nobis monumenta reliquit," etc. Praeterea Euseb. H. E. III. 37. testatur de sacrorum evangeliorum libris jam circa Trajani tempora a peregrinantibus evangelistis tradi solitis in hunc modum:

ex plurimorum et principalium sententia doctorum evangelicus quidem canon paene jam constitisset. Hinc a tempore quod proxime praecessit medium saeculum secundum ad finem fere saeculi quarti apocryphorum evangeliorum aetas quaedam pertinuit; quam quae praecesserunt eodem plerumque nomine insignita, hoc nomen ex analogia potius quam ex ipsa re traxerunt, siquidem simili modo ab ipsa veritate evangelica discedebant atque quae post ficta sunt a canone abhorrebant, in quo perfecta veritatis laus esset.

§. 3.

Diversa est igitur pro temporum diversitate evangeliorum apocryphorum notio. Quod minime negligendum est quaerenti de horum evangeliorum origine et caussis. Et ipsae enim caussae pro tempore differunt. Ea enim quae canonis initia antecesserunt, quum communem quamdam caussam cum tot rerum gestarum memorabilium monumentis, tum vero his plerisque altiorem habebant eo quod ad cupiditatem rei novae atque eximiae accedebat divinae veritatis

---

ἔπειτα δ' ἀποδημίας στελλόμενοι ἔργον ἐπετέλουν εὐαγγελιστῶν, τοῖς ἔτι πάμπαν ἀνηκόοις τοῦ τῆς πίστεως λόγου, κηρύττειν τὸν Χριστὸν φιλοτιμούμενοι καὶ τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων παραδιδόναι γραφήν. Quod si plena fide historici relatum est, temporibus non confusis, iam ineunte saeculo secundo evangelia per usum vulgata testatur.

salutisque studium. Quem enimvero tam singularem et doctrina et moribus, tam mirabilem et factis et fatis, quem non prophetarum tantum unum, sed ipsum Messiam ante tot saecula Israëlitarum genti divinitus promissum tantisque signis comprobatum, quem denique profligata Graecorum Romanorumque superstitione sublimioris religionis auctorem fama depingebat mox vulgata per orbem: ejus vitam accuratius nosse ut tot Judaeorum ubique terrarum dispersorum, ita sat aliorum qui a re Judaica haud abhorrebant, multum intererat. Quorum in usum ipsis primis post Christum temporibus defuisse qui Jesu vitam vel memorabilia litteris mandarent, qua aetate librorum scribendorum studium tantopere vigeret, quis tandem credat?

Quae quam recte disputata sint, invitis iis qui eo magis sibi sapere videntur quo remotius ab aetate Christi ponunt quicquid argumenti evangelici scriptum est (5), luculentissimum testem habemus Lucam evangelistam, quem quos »multos" rerum Christi auctores in prooemio tangit, ad proxima a Christo lustra referre maxime consentaneum est. Jamvero in his, ut fere fit, alii plus alii minus rerum gestarum cognitum habuerunt; fuerunt qui quae litteris man-

---

(5) Exempli caussa cf. Credner: *Beitraege* I. p. 412. Die Erwartung einer baldigen Wiederkehr des Messias oder Christus machte geraume Zeit hindurch jede schriftliche Aufzeichnung überflüssig. Erst die Zerstoerung Jerusalems brachte andere Ansichten hervor etc.

dabant, non ipsi viderant, sed ex aliis audierant; fuerunt qui vera distinguere a fictis — quid enim unquam praeter morem accidit quin rumoribus et commentis depravetur? — parum didicerant. Accedit quod quae quisque maxime admirabatur aut ex re esse sua judicabat, scribebat maxime. Quum porro paucorum hominum sit res ita tradere ut non ad ipsorum mentem ac judicium conforment, tum quae fidem ac veritatem spectant alienis rationibus imprimis obnoxia sunt. Aetate vero de qua agitur quum inter Judaeos Judaeisque proximos tot sectae vel essent vel prodirent eximiam philosophiae laudem affectantes, profecto non mirum erat si quis res Christi litteris tradens praeconceptis opinionibus suis multifariam exornaret.

Quae quidem omnia momentum habent si de origine et indole primorum scriptorum evangelicorum, quorum aut nihil aut pauca fragmenta novimus, cum aliqua probabilitate existimare volumus. Ab hoc genere haud aliena sunt evangelia quae secundum Hebraeos et secundum Aegyptios inscripta circumferebantur, quod Basilidis nomen gessit, atque item alia. In quibus, ut constat, eminet illud quod primo loco posui. Quod quae consimilia ac fere genuina cum Matthaei evangelio continebat, utrum ex ipso hauserit Matthaeo, an ex fonte quodam quem eundem Matthaeus adierit, quamquam difficile dictu est, tamen omnia quae supersunt fragmenta satis probant, a simplicitate et subli-

mitate veneranda quae in canone est, magnopere istud recessisse (6).

Canonica enimvero ab aliis aetate sive prioribus sive non ita multo posterioribus differunt eo quod qui scripserunt, quum ipsis rebus vel interfuerunt vel iis qui interfuerant conjunctissimi erant, tum — quod frustra tot armis nostra potissimum aetate impugnarunt (7) — pro integritate animi ingeniique simplicitate soli ve-

---

(6) Doctas de hoc evangelio quaestiones recenti memoria a theologis institutas non est quod h. l. recenseam. Petri quidem quod dicebatur evangelium unum idemque esse concludi nullo modo potest, nisi certe Petri nomen temere fictum proptereaque plerumque omissum dixeris. Ut autem multa ad libidinem quamvis speciose de eo proposita sunt, ita inprimis temerarium est, quod si quid fragmentorum rationem manifesto apocrypham habet, id ab interpolatore (Graeco) potius quam ab auctore (Hebraeo) profectam malunt. Cf. Baur: *Kritische Untersuchungen über die canonischen Evangelien* etc. 1847. p. 575. Sie (die aus dem Hebräer-Evangelium, oder dem Evangelium der Ebioniten und Nazaräer noch vorhandenen Fragmente) treffen zwar grossentheils mit unserem griechischen Text zusammen, weichen aber auch wieder sehr von ihm ab, indem sie zum Theil sehr apokryphisch lauten. Nur darf freilich hieraus in Betreff der ursprünglichen Verschiedenheit nicht zuviel geschlossen werden, da das Hebräer-Evangelium auch erst in der Folge, als eine griechische Uebersetzung desselben schon existirte, apokryphische Zusaetze dieser Art erhalten haben kann. — Eodem certe jure dixeris ea quae cum Matthaeo conspirant videri potius ad hunc redacta quam ex ipso Hebraeorum evangelio fideliter petita. Nimirum istum in modum non tantum quae omnes ignoramus, ad suas trahunt conjecturas, sed etiam quae aliter diserte tradita sunt, cum eisdem convenire jubent.

(7) Qua in re difficile est superare audaciam auctoris libri: *Die Evangelien, ihr Geist, ihre Verfasser und ihr Verhaeltniss zu einander*. 1845. Sed ut alios stultitia ita alios acumine ipsum coelum petere, non novum est. Utrumque licet, neutrum juvat.

ritati pro viribus studuerunt. Praetereo enim quod, nisi quis Jesum esse Christum negat, quos Deus primarios aeternae salutis hominum generi paratae testes atque interpretes elegit, divino ii tacti spiritu scripsisse censendi sunt.

Ad hujus aetatis apocrypha trahenda etiam sunt quae passim sacro textui aliena manu illata esse, ipsorum antiquorum testium auctoritas evincit. Ex his quum alia in exemplaria usitatissima et manuscripta et impressa transierunt, ut quae de femina adultera Jo. VII, 53. — VIII, 11. leguntur, ut extrema evangelii Marci XVI, 9 sqq., tum alia in codicibus interpretationibus patribus delitescunt. Haec pleraque ipsis primis temporibus orta esse, argumentis idoneis probatur; sed sunt ejusmodi ut multo magis a catholicorum doctorum pia fraude et incuria critica quam ab haereticis rationibus profecta videantur.

§. 4.

Sed jam ad ea transeundum est tempora, ubi evangeliis nostris canonicis magna quaedam in ecclesia auctoritas esse coepit. Maxime tum prodiisse apocrypha, canonicis opposita et iisdem tamen innixa, supra dictum est. Cujus rei similis ratio est atque dogmaticae. Iisdem enim temporibus ut doctrina Christiana certiorem legem ac definitiorem formam nanciscebatur, ita haeresis plura incrementa capiebat ac tum de-

mum certam et perfectam assumebat speciem (8). Ab haeresi autem, quae CHRISTUM suo illa quidem modo profitens pro Christianis venditabat quae non erant, certe ecclesiae non videbantur, non dubium est quin apocrypha evangelia originem inprimis duxerint; nisi praestat horum et illius caussam praecipuam similem ac fere communem dicere. Utraque enim inde sunt orta quod qui ex veteri conditione in novam transibant, veterem et ipsam cum nova conjungere studuerunt, alteram altera quamvis diversa non modo non excludi sed etiam sustentari ac suppleri aut opinantes aut simulantes. Quam in rem quadrat HIERONYMI illud (9): »Dum volunt Judaei esse et Christiani, nec Judaei sunt nec Christiani", nisi quod de solis ille Judaeis dicit, idem in eos valet qui ex philosophia sive orientali sive graeca ad CHRISTUM transierunt.

Nimirum haeretici opus habebant apocryphis suis evangeliis quemadmodum ecclesia canonicis. Ex his enim, quibus majus quam tradi-

---

(8) Testatur CLEMENS ALEXANDRINUS (nescio quo loco) inde ab HADRIANO usque ad ANTONINUM PIUM vel maxime viguisse haereseos tempora. Plane vero huc quadrant HIERONYMI verba: *Comment. in Matth. prooem. Opp.* IV. p. 2: »quae a diversis auctoribus edita diversarum haereseon fuere principia: ut est illud juxta Aegyptios et THOMAM et MATTHIAM" etc.; item ATHANASIUS quod de apocryphis habet, Opp. II. p. 39: *ἀλλὰ αἱρετικῶν ἐστὶν ἐπίνοια, γραφόντων μὲν ὅτε θέλουσιν αὐτά, χαριζομένων δὲ καὶ προστιθέντων αὐτοῖς χρόνους ἵν' ὡς παλαιὰ προφέροντες πρόφασιν ἔχωσιν ἀπατᾶν ἐκ τούτου τοὺς ἀκεραίους.*

(9) Cf. *ep. ad August.* 112.

tionibus ore propagatis pondus inesse mox intellectum est, quum errores suos ab ecclesiae doctoribus graviter convictos viderent, et ipsi quod iis opponerent circumspexerunt. Tribus autem id modis factum esse constat. Aut enim opiniones suas ita stabiliebant ut evangelia publice probata sibi favere corruptis interpretationibus ostenderent; aut textum eorum ex arbitrio immutabant, demtis audacter iis quae improbarent; aut denique nova excogitabant scripta, quae apostolicis commendata nominibus non minorem quam quae ecclesia laudabat auctoritatem sibi vindicarent.

Atque interpretationum quidem illarum quam frequens apud haereticos usus fuerit, prae omnibus testis est Irenaeus, qui *adv. haeres.* I. VI. de Valentinianis haec habet (10): »Et non solum autem ex evangelicis et apostolicis tentant ostensiones facere, convertentes interpretationes et adulterantes expositiones, sed etiam ex lege et prophetis, cum multae parabolae et allegoriae sint dictae, et in multa trahi possit ambiguum, per expositionem propensius ad figmentum suum." Exempla, quorum satis attulerunt cum Irenaeo Epiphanius, Origenes, Tertullianus aliique,

---

(10) *Καὶ οὐ μόνον ἐκ τῶν εὐαγγελικῶν καὶ τῶν ἀποστολικῶν πειρῶνται τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι, παρατρέποντες τὰς ἑρμηνείας καὶ ῥαδιουργοῦντες τὰς ἐξηγήσεις, ἀλλὰ καὶ ἐκ νόμου καὶ προφητῶν, ἅτε πολλῶν παραβολῶν καὶ ἀλληγοριῶν εἰρημένων καὶ εἰς πολλὰ ἕλκειν δυναμένων τὸ ἀμφίβολον διὰ τῆς ἐξηγήσεως.*

hoc loco videre non attinet. Depravatio vero evangelici textus in caussa fuit cur plura evangeliorum ab ecclesia rejectorum nomina circumferrentur, quae post multi communi apocryphorum titulo nuncupantes non recte interpretati sunt. Quae enim Cerinthi et Carpocratis, quae Marcionis et Apellis, quae hujus generis alia evangelia celebrabantur, ea non ab his inventa aut composita, sed propterea eorum insignita nominibus videntur quod evangelium unum de canonicis, alteri Matthaei alteri Lucae, ad sua placita conformarunt vel potius interpolarunt (11). Quae quidem exemplaria interpolata contra catholicos disputantes pro veris venditare non poterant, nisi interpolationis accusarent ea quibus ipsi catholici utebantur. Id quod accidisse Augustinus testatur (12).

---

(11) Celebre est Apellis dictum (*ap. Epiph. haeres.* XLIV. § 2): *Χρῶ ἀπὸ πάσης γραφῆς ἀναλέγων τὰ χρήσιμα.* Item cf. Epiphan. ibidem § 4: *Εἰ δὲ καὶ ἃ βούλει λαμβάνεις ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς, καὶ ἃ βούλει καταλιμπάνεις, ἄρα γοῦν κριτὴς προςκαθίσας* etc. Item Faust. *ap. Aug.* XXXII, 2: »Quae (i. e. evangelia) quia nos legentes, animadvertimus cordis obtutu sanissimo, aequissimum judicavimus utilibus acceptis ex iisdem — — cetera repudiare." Item *Tit. Bostr. bibl.* PP. IV. P. II. 229. Quam e cunctis eligendi quae vellent licentiam Manichaei ex ipso evangelio firmarunt, Manem suum asseverantes eum ipsum esse paracletum de quo Christus dixit: Ipse vos inducet in omnem veritatem; cf. Faust. *ap. August.* XXXII, 6.

(12) Cf. Aug. *c. Faust.* XXXII, 16: »Quod (evangelium) non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis ergo testem suum prius ipse dicat falsitate esse corruptum, et tunc producat ad testimonium?" Ibidem paulo post est: »Ea de iis codicibus profertis

Denique interpolationibus his haereticis ulterius audaciae ac mendacii progressi sunt evangeliorum apocryphorum quae proprie dicis auctores. Quibus in conficiendis alteri magis alteris ad canonica respexerunt, sed quae aliena intrudere fidei volebant, cum magna libertate proposuerunt. Quam ad rem observandum est quam aptum fuerit prae ceteris illud historicum genus, quo commenta quaelibet firmare poterant et tamen quae gesta essent narrare videbantur.

§. 5.

Haeresin igitur (13), ortam inde quod CHRISTO nomen dantes vetera cum novis conflarent, inprimis in caussa fuisse vidimus cur apocrypha evangelia fingerent. Illius autem duplex inpri-

---

quos dicitis infalsatos." Porro huc spectat quod FAUSTUS identidem »aliquid in apostolo cauponatum" posuit, *ap. Aug.* XI, 1. XXXIII, 6. Denique haeretici accusati fraudis scriptorum suppositorum Catholicis par pari referebant, quemadmodum in his FAUSTI verbis (*ap. Aug.* XXXII, 2. XXXIII, 3) videre est: »Quod (evangelium) nec ab ipso Christo scriptum constat nec ab ejus apostolis, sed a quibusdam nominis incerti viris, qui, ne sibi non haberetur fides scribentibus quae nescirent, partim apostolorum nomina partim eorum qui apostolos secuti viderentur scriptorum suorum frontibus indiderunt, asseverantes secundum eos se scripsisse quae scripserint."

(13) Cf. supra notam 8. Praeterea cf. IREN. *c. haeres.* I. XVII. p. 86: *πρὸς δὲ τούτους ἀμύθητον πλῆθος ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ἃς αὐτοὶ ἔπλασαν, παρεισφέρουσιν εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνοήτων* etc. EUSEB. *hist. eccl.* III. c. XXV: *ἵν' εἰδέναι ἔχωμεν αὐτάς τε ταύτας καὶ τὰς ὀνόματι τῶν ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας* etc.

mis est genus distinguendum; erat enim aut Judaica aut Graeca. Alteri enim de Judaicis vel legibus vel traditionibus vel placitis quibuslibet, alteri de philosophia ex orientalibus et Graecis conglutinata elementis afferebant quibus Christiana infarcirent. Quam philosophiam hoc singulare habuisse constat, quod gnosin se esse profiteretur, sive talem quae divinarum rerum mysteria pernosceret ultra quam vulgus saperet. Sed transiit eadem ratio ad Judaicam etiam disciplinam, ita ut quam dixi haeresin Judaicam et Graecam, inprimis gnosis esset haeretica, quae aut Judaicis aut Graecis commentis delectabatur.

Quodsi autem homini innatum est ut quae diu probaverit totoque animo sit amplexus, ea obortis aliunde novis iisque quam verissimis certe propinqua judicet et quo utraque cohaereant vinculo cum amore anquirat: quanto Gnostici, tanta illi quidem cum fiducia atque arrogantia summam veritatis scientiam jactantes, incendi debebant studio suae conservandae laudis in ipsa Christiana religione, quam nec, quum plus in dies virium auctoritatisque assumeret, cautum esset negligere, nec, quum suam ad rem egregie adhibere possent (14), prorsus aspernari ju-

---

(14) Cf. quod Augustinus in ep. 68. *ad Diosc.* cap. V. § 33. de Plotini asseclis Romae florentibus habet: »aliquos Dominum Jesum Christum ipsius veritatis atque sapientiae incommutabilis quam conabantur attingere cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transiisse." Ex illorum potius quam sua mente judicasse videtur

varet. Hinc evangeliis in ecclesia summo loco habitis, gnosticae vero rationi parum faventibus, opponebant alia quae ipsorum confirmarent ineptias et tamen pro fictis titulis parem cum ecclesiasticis auctoritatem habere viderentur.

Qua in re grave illud est quod mendacium, quum in universum quam turpe esset illius aetatis homines latebat, tum apud Gnosticos, si ex re esse videretur, magna in laude ponebatur. Itaque quod jam Plato civitatis principibus concessit, ut fallerent et mentirentur utilitati civium consulentes (15); quod idem in veteris poetae versu inest Mimanti Pythagoraeo laudato:

> Bonos nec ipse Jupiter spernit dolos;
> Est tempus quando mendacem laudat Deus (16):

id Gnostici liberrime in se transtulerunt probaruntque suis et praeceptis et moribus. Tantum enim illi philosophiae insolenti suae tri-

---

quod ibidem § 21. habet: »paucis mutatis verbis atque sententiis quas Christiana improbat disciplina," »ipsos Platonicae gentis philosophos invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere."

(15) Cf. *de republ.* III. *Τοῖς ἄρχουσι δὴ τῆς πόλεως εἰ παρά τισιν ἄλλοις προςῆκεν ψεύδεσθαι ἢ πολεμίων ἢ πολιτῶν ἕνεκα ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως.* Cf. in universum Mosheim, *Dissertt. ad hist. eccles. pertin.* I. p. 196 sqq.

(16) Graeca sic habent:

> *Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός,*
> *Ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅποι τιμῇ (τιμᾷ) θεός.*

Cf. Mosheim l. l.

buebant pretii ut praeter istam nihil grave aut sanctum haberent, atque — quae Plotini de eis verba sunt — omnes leges humanas atque virtutem omni ex tempore expetitam nihili facerent (17). Qua ex re clarum fit quam illi proclives esse debuerint ad mentiendum nomen magnum et celebre, quo praetexto scriptis suis majorem dignitatem compararent. Quemadmodum igitur Zoroastris, Musaei, Lini aliorumque veterum nominibus ad varia sua commenta tuenda atque ornanda abusi sunt, ita sanctos Veteris Testamenti viros, ut Adamum, ut Chamum, ut Sethum (18), ita apostolos Jesu Christi suarum finxerunt fabularum auctores.

Quae quum ita sint, ne hoc dixisse videar, evangelia apocrypha non deberi nisi Gnosticis, quamquam totum illi aetatis qua vigebant ingenium suis quodammodo erroribus imbuerunt, ita ut videretur gnosticum quod non ab ipsis profectum esset Gnosticis. Ab illa enim doli mendaciique religione, quam haereticis istis tantopere placuisse vidimus, adeo non differebat »pia quaedam fraus", probata passim et ipsis Catholicis, cujus commendationem prae ceteris

---

(17) Plotini verba Ennead. IX, 15 haec sunt: — — *πάντας νόμους τοὺς ἐνταῦθα ἀτιμάσας καὶ τὴν ἀρετὴν τὴν ἐκ παντὸς τοῦ χρόνου ἀνευρημένην τό τε σωφρονεῖν τοῦτο ἐν γέλωτι θέμενος* etc. Vide ap. Mosheim l. l. p. 251.

(18) Cf. Porphyr. *Plotin. vita* cap. XVI. Vide ap. Mosheim l. l. pag. 232.

scripsere ORIGENES (19) et CHRYSOSTOMUS (20). Praeterea notum est illud quod TERTULLIANUS atque cum eo HIERONYMUS narrat (21), presbyterum quendam in Asia supposito PAULI nomine composuisse acta PAULI et THECLAE, cujus fraudis convictum respondisse, id se amore PAULI fecisse. Cujusmodi fraus in eo se conspiciendam praebebat quod quae ad tuendum vel supplendum doctrinae Christianae aliquod caput, ad probandam opinionem quae fidei contraria non esset aut non videretur, ad illustrandam vel explendam aliquam vitae JESU partem gesta esse cuperent, gesta revera fingerent. Quod inprimis tum accidit ubi diversa a publica doctrina in medium proferebant adversarii vel haeretici, quos historicis monumentis quam doctis dispu-

---

(19) Cf. HIER. *apolog.* I. *contra Ruf.* ubi haec ORIGENIS verba in locum PLATONIS de mendacii licentia esse perhibentur: — — Debemus considerare quomodo philosophus caute dixerit, Deo indecens et inutile esse mendacium, hominibus interdum utile et quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri. Sin autem cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat ut sic utatur interdum mendacio quomodo condimento atque medicamine etc. Vide ap. MOSHEIM l. l. p. 203.

(20) Cf. de sacerdotio I: *πολλὴ γὰρ ἡ τῆς ἀπάτης ἰσχὺς, μόνον μὴ μετὰ δολερᾶς προαγέσθω τῆς προαιρέσεως. Μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἀπάτην τὸ τοιοῦτο δεῖ καλεῖν ἀλλ' οἰκονομίαν τινὰ καὶ σοφίαν.* Vide plura ap. MOSHEIM l. l. 205 sqq.

(21) Cf. TERTULL. *de baptismo*, cap. 17: sciant in Asia presbyterum quia eam scripturam construxit, quasi titulo PAULI de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore PAULI fecisse, loco decessisse. Item HIERON. *de script. eccles.* cap. 7. Cf. ad haec PETR. LAMBEC. *Prodrom.* p. 19.

tationibus refellere praestabat. Praeterea cavendum est ne gnostica et catholica sibi invicem ubique prorsus opposita putemus. In ipsis enim inventis apocryphis accidisse videtur ut Gnostici aliquid pro suae doctrinae licentia excogitarent, quod Catholici boni consulerent ac pro suo adoptarent.

§. 6.

Haec autem studia, quibus ecclesia Christiana per priora tria vel quatuor saecula magnopere turbata est, in ipsis canonicis evangeliis invenerunt quibus alerentur et sustentarentur. Ejusmodi primum hoc est quod evangelistae partem tantum eamque exiguam quamvis gravissimam vitae Jesu complectuntur. Hinc ea quae illi paucis tetigerant vel plane silentio praeterierant, ut res circa Josephum et Mariam, ut Jesu infantia et pueritia, ut tempus quod transegit antequam Johannem *baptistam* adiret, ut ea quae e mortuis in vitam reverso acciderunt, item quae duos latrones cum Christo cruci affixos, quae Josephum *Arimathiensem*, Nicodemum, Pilatum aliosque attinent, ea, inquam, ad scribendum excitarunt alios. Ac videntur etiam illo tempore, quippe ore tradita, facile sciri potuisse quae historiam evangelicam supplerent. His scite adhibitis fabulae prae se ferebant speciem veri.

Rursus quae non fideliter et accurate perscripta sunt, sed fama tantum ore propagata

ab oblivione vindicantur, ea ubique sensim a vero deflectere constat. Talia de CHRISTO homines secundi, tertii, quarti saeculi meliora nescientes, sincero animo et tamen temere poterant litteris mandare. Debebant vero etiam quae omnes ignorabant mendacibus apta videri, quae suam in rem converterent. Neque omittendum est quod quae circa natalia CHRISTI narrantur a LUCA, quae portenta mortem ejus comitantia MATTHAEUS refert; item quae circa reditum ejus in vitam ab omnibus traduntur, item similia alia vulgarem rerum modum tantopere excedebant ut mirabilia et portentosa alia addere i. e. comminisci, multis nec impium videretur nec ineptum.

Huc accedit quod, sive divinum CHRISTI ingenium spectas, sive pleraque quae perpetravit miracula, sive morum praecepta quae dedit, sive fidem quam a suis exigebat, sive alia in quibus illa describendis versantur, tanta est evangeliorum, trium maxime synopticorum, simplicitas, perspicuitas, sinceritas, ut Gnosticis, qui imaginosa praeferebant planis, corruptas notiones rationi sobriae, qui malebant excellere vanitate atque fallaciis quam justitiam pietatemque docere, qui toti erant in arcani amore atque ostentatione, non potuerint non displicere. Hinc est quod duplicem fuisse CHRISTI disciplinam excogitarunt, alteram in usum vulgi, alteram destinatam illuminatis paucis. Atque illam quidem in evangeliis receptis esse proposi-

tam »secundum audientium capacitatem", »secundum caecitatem ipsorum", hanc vero »in mysterio discipulis et apostolis seorsum traditam" ut ipsi rursus »dignis et assentientibus seorsum traderent" (22). Quae arcanae sapientiae institutio quum a CHRISTO profecta non esset, ab iis qui prae se ferebant fingi debebat. Qua re ipsi caussae Christianae egregie illi consulturi non nemini videri poterant, quum id ipsum a philosophis adversariis, ut a CELSO, Christianis exprobratum esset, eos non ad partes suas trahere velle nisi imperitos et stultos (23), atque esse revera Christianam religionem stolida fide nixam et ab omni sublimiore animi cultu alienam.

Denique huc pertinet quod quum ad systematicam quam dicunt rationem revocari coepta sunt quae in evangeliis ceterisque libris canonicis traduntur aut docentur, facile deesse visa sunt, ut expedita omnia atque perfecta haberentur, quibus et multorum de reconditis quibusdam fidei capitibus dubitationes praeciderent et varias adversariorum sententias atque suspiciones refutarent. Exempla sunt quae circa MARIAM virginem leguntur, aut de divina JESU CHRISTI natura, aut de CHRISTI descensu ad inferos, aut

(22) Cf. IREN. *c. haeres.* I. cap. 24. p. 101. III. cap. 5. p. 206. Vide ap. MOSHEIM l. l. p. 256.

(23) Quod CELSUS abutens loco 1 Cor. 3, 19 extricavit; cf. ORIG. *c. Cels.* 6, 12.

de mortuis cum CHRISTO in vitam restitutis. Inde factum est — nec enim in confessis acquiescere quam ultra modum quaerere malebant — quum ut tot inter ecclesiae doctores lites orirentur, tum ut scripta fingerentur sive evangelici sive alius argumenti, quae dogmata illustrarent aut absolverent. Quod ita esse, apocrypha evangelia ipsa ea quae ad nos pervenerunt luculenter probant, ut post ostendam.

§. 7.

Jamvero quae ficta et suppositicia tum temporis in vulgus edebantur, quum nunc ut opinor nemini fucum faciant, nonne qui errores suis oculis quasi videbant nasci, a fraude tutissimi erant? Quod quum longe aliter esset, rursus ad commendandas deceptorum artes faciebat. Aetas enim de qua quaeritur, ab arte critica alienissima erat; religionem superstitione, credulitate fidem compensare videbatur. Nimirum vetera perierant aut ad interitum prope erant adducta; nova nondum eam vim atque auctoritatem habebant quae a patrum consensu, a longo saeculorum usu proficisci solet. Attamen desolatis templis et ipsi animi divino solatio destituti erant; e miserie ad meliora emergi nitebantur; veritatis amor manserat quum veri nihil superesse videbatur; salutis incessit desiderium quum de salute tantum non actum videbatur. Hinc nisi qui toto animo omnibusque

viribus evangelium CHRISTI amplexi essent, ad credendum proni erant si quid novi bonaeque frugis offerebatur; hinc speciosis commentis fidem decipere facile erat; hinc aetas erat fabularum amans, incredibilium sequax, apocryphorum nutrix. Quod aetatis ingenium prae ceteris APOLLONII TYANENSIS rebus et fatis testatum, ipsos eos invasit qui tum doctis scriptis celebritatem nominis assecuti sunt, ut AELIANUM et APULEJUM. Quae quum potissimum ad gentiles valeant, tum Judaeorum res, dudum vexata sectarum studiis, jamjam Messia patefacto et spreto, in tantum discrimen data erat ut vacillarent omnia, nec quorsum vertenda fides esset pateret. Hinc tot inter ipsos Judaeos illius temporis dissidia; quemadmodum qui venturum Messiam sperabant saepe eadem poena cum iis affecti sunt qui venisse profitebantur; hinc fervens rabbinismi et cabbalismi studium; hinc tantae turbae duce BAR CHOCHBA Messia.

In hoc igitur desperato rerum sacrarum statu non minima posita erat caussa cur apocryphorum scriptorum mira multitudo tum potissimum proveniret. Creduli et curiosi, qui quaererent et cum studio legerent, nusquam deerant; quae vero aetas quaerit, eadem fovet. Arripiebat vulgus nomina quibus firma ex longo tempore auctoritas esset, securus utrum veris praetexta essent an fictis, dummodo desiderio satisfacere aut novi aliquid ac singulare tueri videren-

tur (24). Itaque nec ad Christiana tantum sacra sed etiam ad Judaica et ad Graeca illorum temporum apocrypha pertinebant, quemadmodum non tantum apostolis virisque apostolicis, sed etiam alia Orpheo, Musaeo, Homero, alia Hermeti, Zoroastri, Hysdaspi, Sibyllis, alia tot viris Veteris Testamenti, ut Adamo, Mosi, Jesajae, Danieli, supponebantur. Quam frequens autem tum temporis et plane in usu fuerit illa fraus, testatur Paulus apostolus, qui 2 Thess. II. 2. diserte alludit ad epistolas ipsius nomine venditatas, et ibidem III. 17. signum praebet quo ecclesiae ad quas scribit sua possint a suppositis distinguere (25).

Sed quae de credulitate neglectaque critice illius aetatis disserui, ne cui ad homines tantum pertinere videantur moribus et ingenio incultos, duorum virorum magni nominis exempla

---

(24) Singularis de hac re Semleri est sententia cf. *Prolegg. in ep. Jacobi* p. 18 sqq. Ibi post alia est: »arbitror satis jam patere quinam sint auctores talium scriptionum quae nomine apocryphorum laudantur inde a saeculo secundo; scilicet impostores recentes qui fuerant antea ipsi in societate Christiana, sed quibus illa castae virtutis praecepta et studia minus arriderent, postquam perspexissent viam facillime patere ad congerendas divitias, quia multi homines satis faciles attentique auditores essent, quicumque tandem magistri surgerent." Haec speciosa fortasse; sed nimis Judaeos recentes cum antiquis confundere videntur.

(25) Fortasse etiam qui 1 Tim. IV. 7: *γραώδεις μῦθοι* et Tit. I. 14: *Ἰουδαϊκοὶ μῦθοι* dicuntur, ex apocryphorum genere esse putandi sunt.

afferam, alterum Eusebii (26), qui quas Christi et Abgari regis epistolas in archivis Edessenae civitatis repererat indiciis falsi refertissimas, nihil dubitavit pro veris habere, alterum Serapionis episcopi Antiocheni (a. 190.), qui evangelium quod nomine Petri circumferebatur apud Rhosenses ferendum ac legendum judicabat, donec haeresin inde ortam intelligeret (27).

§. 8.

Ad haec denique accedit conditio qua ecclesia Christi primis saeculis utebatur. Quae quam brevi ultra apostolorum patriam dilatata sit, constat. Ad id faciebat et Judaeorum per tot populos dissipatio, et facilitas commercii per terras Romanorum imperio subjectas, nec non sortis societas in quam Christiani cum Judaeis venere, quum circa finem aetatis apostolicae Judaea a Romanis expugnabatur. Neque vero poterant apostoli mandata Domini de evangelio *εἰς πάντα τὰ ἔθνη* (*εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα*) perferendo satisfacere, nisi omnem curam adhiberent ut praedicatio laetissimi nuntii ad omnes nationes quam primum posset perveniret. Quod ita revera factum esse, dubium non est; quum enim saeculo secundo et tertio per plurimas orientis,

---

(26) Cf. Euseb. h. e. I, 13. Vide ap. Fabr. *Cod. apocr.* N. T. I. p. 317 sqq.

(27) Cf. Euseb. h. e. VI, 12. Vide ap. Fabric. l. l. 374 sqq.

multas etiam occidentis terras Christianos propagatos esse scimus, quamquam singuli coetus saepe paucis membris constabant, in mediis Judaeis atque Gentilibus versantes, tum quarto saeculo Christianum nomen jam ad principatum quendam orbis pervenisse videtur.

Haec autem Christianorum dissipatio in varias terras ac nationes, quarum multae ipsa lingua differebant, impedimento erat quo minus, si quid cum ficta nominis apostolici commendatione editum parte aliqua cum studio legeretur, ab aliis multis aut universis statim cognosci posset ac fraudis convinci. Coetus alter saepe alterius a quo longe distabat, usum ignorabat. Antequam igitur liber apocryphus a multis cognitus esset ac reprobatus, jam inter eos apud quos et prodierat et in usu erat, ad aliquam pervenerat auctoritatem. Cujus rei duo exempla videamus. Alterum est, quod modo tetigimus (28), Rhosensium sub Serapione episcopo, qui exeunte saeculo secundo floruit. Rhosenses enim jam diu antequam ab episcopo quid rei esset, docti sunt, evangelio Petri nomine inscripto utebantur, nescientes tot aliis ecclesiae partibus id rejici aut prorsus ignorari. Alterum ex Theodoreto desumtum Tatiani evangelium quod *διὰ τεσσάρων* nuncupatur spectat. Narrat enim episcopus ille Cyri (29), plus ducenta ejus libri exem-

(28) Cf. Euseb. ibidem; item Fabric. ibidem.

(29) Cf. Theodoret. *haer. fabul.* I, 20. *Ἐχρήσαντο δὲ τούτῳ*

plaria in suis se coetibus reperisse; quo illos usus esse tanquam compendiario libro, compositionis fraudem non agnoscentes.

Quod dissipatae ecclesiae incommodum augebatur etiam eo quod, quo tempore apocryphorum librorum studium inprimis vigebat, summa quaedam deerat potestas ad quam omnia referrentur, et a qua si quid dubium aut suspectum esset, facile dijudicaretur. Mortuis enim apostolis, penes quos summum de dissidiis ac litibus arbitrium fuerat, non erant qui pari auctoritate uterentur, praesertim ubi de rebus quaerebatur quae ad Christi pertinebant vitam. Praeterea quum ipsi apostoli in terras tam diversas ac tam longinquas veritatis divulgandae caussa discessissent ibique mortem oppetissent, eo facilius fieri potuit ut quis brevi post unius vel alterius evangelium proferret, quod certe a sola novitate non suspectum haberi posset. Sensim demum majorum conventuum atque quae totam ecclesiam complecterentur synodorum mos invaluit, quibus quae alii ab aliis diversa docerent aut usu observarent ad omnium cognitionem ac judicium consiliumque deferrentur. Verum de canone quidem librorum sacrorum concilium nullum ante quod Laodiceae post medium saeculum

---

οὐ μόνοι οἱ τῆς ἐκείνης συμμορίας ἀλλὰ καὶ οἱ τοῖς ἀποστολικοῖς ἑπόμενοι δόγμασι, τὴν τῆς συνθήκης κακουργίαν οὐκ ἐγνωκότες, ἀλλ' ἁπλούστερον ὡς συντόμῳ τῷ βιβλίῳ χρησάμενοι. Εὗρον δὲ κἀγὼ πλείους ἢ διακοσίας βίβλους τοιαύτας ἐν ταῖς παρ' ἡμῖν ἐκκλησίαις τετιμημένας etc.

quartum habitum est, sententiam tulisse constat.

Quod autem ecclesiae summa quaedam potestas et gubernatio singularumque partium arctior quaedam conjunctio deerat, id eo magis eam quam dixi vim ad provocandos fovendosque libros pseudapostolicos habebat, quoniam et Romanorum imperium et qui ubique rebus publicis praeerant, non modo veritati evangelicae tuendae non prospexere, sed etiam a quo inde tempore imperatorum persecutiones flagrabant, hominum tam obstinatae superstitionis dissidia quaelibet commovebant vel certe adjuvabant et gaudebant.

§. 9.

Quae postquam in universum de origine et caussis evangeliorum apocryphorum dicenda visa sunt, jam est quaerendum de singulis iis quae ab injuria temporum vindicata ad nos pervenerunt. Non videntur ea quidem omnium quae lucem viderunt fuisse gravissima; sed cetera, de quibus ipsorum veterum testimonia ex magna ambiguitate laborant, quum certo definiri plane nequeunt, tum quodammodo iis illustrantur quae circa ea quae supersunt, in medium prolaturi sumus.

Supersunt autem tria graece scripta, duo arabice, duo latine. In quibus quum arabica et latina derivata esse a graecis manifestum sit, ut post ostendemus, inprimis ad priora tria, quae Jacobi, Thomae, Nicodemi nominibus in-

scribi solent, hoc loco oratio nostra referenda erit.

Ac primum quidem de Protevangelio quod dicitur Jacobi est videndum. Quod qui composuit cui sectae addictus fuerit, sive, quod idem fere est, quo id consilio compositum sit, non exigua inter viros doctos quaestio est. Alii enim (ut Arens, Borberg) a Gnostico, fortasse, (ita Beausobre) a famoso Leucio vel certe a Doceta quodam; alii (ut Calmet, Kleuker) ab Ebionaeo, alii a Christiano sincerae fidei vel omnino (ut Postellus, Combefis, Rössler) vel certe (ita Mill) primum profectum postque Gnostico retractatum existimarunt. Inter hos qui nihil dolosum, nil nisi fraudem piam opinati sunt, rationem fidei quae est aetatem apostolicam subsecuta, parum perspexisse videntur. Quod quum bene sentiret Millius, quae Gnosticum potius quam Christianum proderent, ea ab interpolatore gnostico serius addita dixit; quemadmodum fere critici nostri quicquid in evangeliis canonicis contrarium est opinionibus quas de his ipsi profitentur, negant authenticum esse.

Inter Gnosticum vero et Ebionaeum sane est quod fluctues. Posterius quidem Epiphanii auctoritate defendi constat, diserte dicentis: Ebionitas confictos quosdam a se libros Jacobo, Matthaeo aliisque Jesu discipulis per simulationem adscripsisse. Quod quum alius liber praeter Protevangelium nomine Jacobi inscriptus non innotuerit, in hoc ipsum ille dixisse putandus

est. Quae Epiphanii auctoritas nec prorsus negligenda, nec temere est sequenda. Leve quidem erat, propterea quod Ebionitae plerique Jesum ut hominem natum existimarint, evangelium istud ab eorum secta alienum dicere. Diserte enim ipse Epiphanius testatur, a priore de Christo sententia mox eos descivisse, abstrusiores Elxaei opiniones amplexos (30). Has ille ita describit ut minime Christum fecerint hominem. Huc accedit Eusebii de Ebionitis testimonium, quod alteros eorum Christi partum e virgine et spiritu sancto credidisse confirmat (31). Haec jam Kleukerus contra Bellosobrium recte urget (32). Neque magis illud valere quod Bellosobrius continentiam Ebionitis placuisse negat, satis idem ostendit (33) allatis Epiphanii verbis: *ποτὲ γὰρ παρθενίαν ἐσεμνύνοντο, δῆθεν διὰ τὸν Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου* (34).

Rursus vero nuper, ut Arens (35) et Borberg (36), originem ab Ebionaeo negandam ex iis probarunt, quae auctorem rerum Judaicarum parum fuisse gnarum significarent. Cujusmodi

---

(30) Cf. Epiph. *haeres.* XXX, 3. Vide ap. Kleukerum: *Ueber die Apocryphen des N. T.* pag. 131.

(31) Cf. Euseb. *hist. eccles.* III, 27. *ἄλλοι δὲ — — ἐκ παρθένου καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μὴ ἀρνούμενοι γεγονέναι τὸν κύριον.*

(32) Cf. Kleuker, l. l. § 936 sqq. p. 124 sqq.

(33) Cf. ibidem. § 937.

(34) Cf. Epiph. *haeres.* XXX, 1.

(35) *De evangeliorum apocryph. in canonicis usu* etc. 1835. p. 13.

(36) *Bibliothek der Neu-Testamentl. Apokryphen*, 1 Theil. p. 11.

maxime duo esse volunt: quod de JOACHIMI munera offerentis ignominia, et quod de MARIA ad duodecimum annum in templo educata refert. At perperam illud habet quod JOACHIMUM ob prolem sibi negatam (ἀτεκνίαν) a muneribus Deo consecrandis prohibitum dici ajunt. Non est enim in Graeco, ut recte THILO edidit, nisi RUBEN (quendam) JOACHIMUM et pietate et divitiis insignem propter ἀτεκνίαν censuisse indignum qui *primus* offerret munera. Alterum vero tantum quantum volunt ponderis non habet. Templi enim dudum destructi quae leges fuerint, latere facile potuit Judaeum sive Christianum ex Judaeis oriundum; neque est cur is tam anxie in libro suo illas observare debuerit. Quae vero de virginitate ad tertium vix annum certo servanda doctores Judaici quidam somniati sunt (37) — haec urget BORBERG p. 34. — ea Judaeum a fictione sua profecto detinere non poterant, qui quidem ipsum duodecimum annum ad LUCAE de CHRISTO ejusdem aetatis narrationem II, 42. conformasse videtur.

Contra vero quae Judaeum i. e. Christianum e Judaeis auctorem suadent, ut jejunium quadraginta dierum ac quadraginta noctium ad exemplum MOSIS, ELIAE, CHRISTI, ut tanta parentum MA-

---

(37) Quid quod tractatus rabbinicus ISSURE BIAH IV, § 1 eo ineptiarum procedit, ut filiolam posse menstruo pollui dicat etiam in ipso nativitatis die et filiam decem tantummodo dierum profanari profluvio. Cf. THILO, Cod. apocr. N. T. I. p. 357.

riae aetate jam provectorum de prole negata contristatio, ut quae de lamina aurea in fronte pontificis peccata remittente habet, ut quod Anna ad exemplum matris Samuelis Deo devovet si quam prolem habitura sit (38), ut verba pontificis ad Josephum de viris quondam Domino refragatis, ut potus aquae ad redarguendum peccatum, ut historia de Zachariae nece, ut denique tota narrationis ratio et Graecus sermo Matthaei evangelio admodum similis: ea permagni momenti sunt nec disputandi artificiis elevari possunt. Ac siqua sunt quae prae ceteris Gnosticum videantur auctorem prodere, eadem optime in Ebionaeum eumque Gnosticum quadrant. Ita quae de Maria leguntur in templo educata, ab angelo nutrita, abalienata a viri consortio, pariente denique praeter humanum morem, ea cum illa παρθενίας apud Ebionaeos laude studioque, de quo ante (pag. 28.) vidimus, congruunt. Ita quod »columbae instar" Maria in templo educata rursusque »columba" divini nuntii caussa de Josephi virga exiisse dicitur, id plane ex Judaico est ingenio quod symbolicis columbae rationibus delectatum esse constat (39). Ita quod auctor — ut in extremo capite est — sibi gratulatur mysteriorum revelationem sive, quod vulgatus textus habet, sapientiam a Deo sibi

(38) Quod de virga Josephi ad instar virgae Aäronis virescente fingitur, id in graeco non legitur.

(39) Cf. Winer: *Biblisches Realwörterbuch*, p. 566. nota 5.

datam ut spiritualibus traderet, id in omnes quadrat qui gnosticis rationibus utebantur.

Jam vero illud in quo summa rei est, ortum Christi de virgine ab omnibus humanae naturae legibus exemtum docere — ad quod etiam pertinent Maria statim post partum ab obstetricibus examinata ac reperta virgo, Josephus senex factus et decrepitus cui Maria non nupta esset sed concredita (40), alterum Josephi conjugium unde Jesu fratres ab evangelistis commemorantur (41) — id quod sane a Gnostico alienum non est, eo rectius mihi videor ab Ebionaeo Gnostico derivare, quoniam contrariae de hac re opiniones inter ipsos Ebionitas et qui iis cognati erant Nazaraeos circumferebantur, quas auctor operis graviter convincere studebat.

Sed est hoc loco etiam ad id attendendum quod Kleukerus gravissimum duxit (42) in probanda evangelii origine Ebionitica adversus eos qui purum mallent Gnosticum. Sunt verba exeuntis cap XXIV: *Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα.*

---

(40) Hinc magna cum cautione Maria vocatur *ἡ παῖς* p. 226, *ἡ κόρη* p. 222, non *ἡ γυνή*; neque Josephus *παραλαβεῖν αὐτήν* dicitur quin *εἰς τήρησιν* addatur, ut p. 208, p. 210.

(41) Quam ad rem momentum habet quod: »evangelium Petri," quod et ipsum Ebionitis probatum esse constat, teste Origene idem commentum de filiis Josephi ex priore conjuge continebat. Cf. Orig. *comm. in evang. Matth.* tom. XI. p. 223 ed. Huet. *Τοὺς δὲ ἀδελφοὺς Ἰησοῦ φασί τινες εἶναι ἐκ παραδόσεως ὁρμώμενοι τοῦ ἐπιγεγραμμένου κατὰ Πέτρον εὐαγγελίου ἢ τῆς βίβλου Ἰακώβου υἱοὺς Ἰωσὴφ ἐκ προτέρας γυναικός* etc.

(42) Cf. l. l. § 966.

Haec frustra in THILONIS textu omissa sunt. Ut enim quatuor THILONIS codices, ita Italici mei (cf. infra), inter quos est optimae notae Venetus a SUCKOVIO editus, consentientes tuentur *ἐν σαρκί*. Quorum testium auctoritate eo magis standum est, quoniam lectio THILONIS e LUCA (II, 26.) fluxisse censenda est, quemadmodum *ἐληλυθότα* ex Johannis I. ep. IV, 2. adsuerunt. Quod si ita est, a Docetis quidem auctorem libri alienum fuisse certum est (43). Cui sententiae non obstat quod illa de obstetricibus (44) virginitatem MARIAE explorantibus historia egregie cum docetismi placitis congruit; quemadmodum Gnostici, qui et ipsi sententiam de putativo vel aetherio CHRISTI corpore amplexi sunt, a TERTULLIANO (*de carne* CHRISTI cap. 30.) et EPIPHANIO (*haeres.* XXX, 30.) dicuntur usi esse apocrypha quadam EZECHIELIS prophetia »de vacca quae peperit et non peperit" (*Τέξεται ἡ δάμαλις, καὶ ἐροῦσιν Οὐ τέτοκεν*), prophetam ea in MARIAM vaticinatum docentes. Poterat enimvero inter

(43) Praetereo quod recte KLEUKERUS a LEUCIO vel simili Gnostico evangelium de quo quaeritur etiam propterea negavit scriptum esse quod id JOACHIMUM pastorem, non Levitam fingit. Ex Levitica enim tribu oriundam fuisse MARIAM constanter et cum singulari gravitate Gnosticos contendisse, FAUSTUS apud AUGUSTINUM docet. Qua de re accuratius scituros ad BELLOSOBRIUM delego: *Histoire critique de Manichée* etc. I. p. 354 sqq.

(44) Dixi obstetrices, quemadmodum in evangelio de nativ. Mar. et inf. Salv. est. Pseudo-JACOBUS diserte quidem unam tantum obstetricem MARIAE adfuisse tradit; tamen vix dubium est quin etiam SALOME cap. XIX sq. pro obstetrice sit habenda.

reliquos Gnosticos et Ebionitas gnosticos satis convenire de hoc dogmate, quod postea ab haereticis ad ipsos Catholicos transiisse atque concilii Lateranensis sub Martino I. habiti canone tertio sancitum esse constat; etsi quod a natura prorsus divina filii Dei Docetae derivabant, Catholici id omnipotentiae Dei patris tribuerunt.

Denique quae Jacobi ut auctoris ex Ebionitarum fraude celebris apud Epiphanium mentio fit (cf. supra), ea tanto est gravior quod idem omnino summo apud illos honore habitus est; id quod prae aliis libri Pseudo-Clementini testantur. Hinc ex Christi discipulis facile non erat a cujus nomine ebionaeus auctor majorem quam a Jacobi nomine historiae suae auctoritatem peteret.

Quibus de ingenio auctoris Protevangelii disputatis pauca addenda sunt de aetate qua is scripsisse videatur. Haec primum judicanda est ad antiquissimos aliquot patres qui eo libro usi sunt. In his Justini quidem testimonium dubium est, quoniam quod *in dialogo c.* Tryph. cap. 78: *ἐν σπηλαίῳ τινὶ συνεγγὺς τῆς κώμης* Jesum natum esse dicit, ex traditione habere poterat, quam et ipsum Protevangelium (capp. 18. 19) secutum videtur; quamquam Lucae textum, quem alibi satis respicit, praesertim si stabulum Lucae haberi posse speluncam negamus, Justinum equidem haud deseruisse puto, nisi quod refert et ipsum in scriptis invenisset. Certius Clementis Alexandrini est testimonium, qui quae de Maria

post partum ab obstetrice inspecta (45) habet, non sine respectu Protevangelii (capp. 19. 20) dixisse videtur. Origenes vero (46) ipsum commemorat Jacobi librum tanquam satis notum; post hunc Gregorius Nazianzenus, Epiphanius aliique sat multi citant.

Ex his testimoniis quod sequitur, videri Jacobi librum medio fere saeculo secundo prodiisse, confirmatur etiam quum graeco dicendi genere, quod quantopere cum ipsis canonicis evangeliis concordet post docebimus (47), tum dogmaticis rationibus circa quas versatur maxime. Probare enim virginitatem Mariae in partu conservatam ac Jesum esse Dei non Josephi filium, id opportunum ac necessarium illa potissimum aetate videbatur qua, ut jam notatum est, Ebionitarum et Nazaraeorum, item Cerinthianorum et Marcionitarum obtinebat opinio de Jesu vero Josephi et Mariae filio, qua Tryphon ille in evangelistas invehebatur quod ex adolescentula (νεᾶνις) Jesaiae (VII, 14) virginem (παρθένον) fecissent (48); qua Celsus, Jesum e virgine natum, eodem jure dici calumniabatur quo Graeci Danaen, Melanippen aliosque dicerent; qua genui-

---

(45) Cf. *Strom.* VII. p. 889; ed. Potter; p. 756 ed. Colon.

(46) Cf. *comm. in Matth.* tom. V. p. 223. ed. Huet. Vide supra notam 40.

(47) Cf. etiam Suckowii *Commentationes hist. crit. de Protev. Jac.* P. I. *de argum. et indole*, Vratisl. 1830.

(48) Ceterum nescio an eodem fere tempore »Ascensio Jesaiae" scripta sit, in qua cap. X prophetae visio fit de mirabili doloribusque vacuo sanctae virginis partu.

nos Jesu fratres exstitisse plerique credidisse videntur, quemadmodum etiam Josepho *in Antt.* XX. 9, 1. Jacobus simpliciter frater Jesu *τοῦ λεγομένου Χριστοῦ* dicitur.

§. 10.

Jacobi libro non multo recentior est is qui plerumque Thomae nomine inscribitur, *evangelium* dictus *infantiae.* Quod cui consilio, quali auctori deberetur quum quaerebat Kleukerus, fabulis tam ineptis nihil inesse censuit quod a puerili ac vulgari ingenio Judaei alicujus male otiosi differret (49). Hoc ille et invitis iis veteribus contendit qui de evangelio isto commentati sunt, et neglectis rebus pluribus quae longe aliud quam ineptam ingenii simplicitatem produnt.

Rectius Kleukero jam Bellosobrius judicaverat, qui ut ad Manichaeum auctorem contra Mingarellium, Richardum Simonem aliosque referendum negabat, ita a Gnostico aliquo Marcosiorum sectae addicto putabat scriptum esse (50). Etenim Manichaeum quidem auctorem jam plures veterum suspicati sunt duce Cyrillo Hierosolymitano, qui catech. IV. haec habet: »Scripserunt etiam Ma»nichaei evangelium secundum Thomam, quod »quasi suavitate evangelici cognominis animas

(49) Cf. l. l. § 970. p. 206: »sie ist in einem ganz gemeinen jüdischen Geschmack geschrieben."

(50) Cf. *Histoire critique de Manichée*, I. p. 344 sqq.

»simplicium corrumpit;" rursusque catech. VI: »Nemo legat evangelium secundum Thomam; non »enim est unius ex duodecim apostolis, sed unius »ex pessimis tribus Manetis discipulis" (51). In his duplex est assertio: quum Manichaeos evangelium secundum Thomam composuisse, tum Thomam, qui est in titulo, non Christi apostolum, sed Manetis discipulum esse. Inter plures (52) qui Cyrillum secuti sunt, memorabile est Gelasii decretum eo quod hoc evangelium a Manichaeis non scriptum, sed modo adhibitum perhibet. Habet enim simpliciter sic: »Evangelium nomine Thomae apostoli, quo utuntur Manichaei, apo»cryphum." Usos eo libro Manichaeos esse quum dubium non sit, tum quod de Thoma Manichaeo auctore celebratum est, in mera positum est conjectura Cyrilli. Nimirum quem ille librum apud Manichaeos inprimis in usu esse vidit, eum ab iisdem etiam compositum esse conjecit. Thomae vero quum diceretur evangelium et idem Thomae nomen discipuli esset Manetis, hunc ipsum Manichaeum pro libri auctore habere proclive erat. Quod falsissimum esse inde intelligitur, quod jam ante Thomae Manichaei tempora non modo ab Origene evangelium Thomae cita-

---

(51) *Ἔγραψαν καὶ Μανιχαῖοι κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον, ὅπερ ὥσπερ εὐωδίᾳ τῆς εὐαγγελικῆς προσωνυμίας διαφθείρει τὰς ψυχὰς τῶν ἁπλουστέρων*, et: *Μηδεὶς ἀναγινωσκέτω τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον· οὐ γάρ ἐστιν ἑνὸς τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ἀλλ' ἑνὸς τῶν κακῶν τριῶν τοῦ Μάνη μαθητῶν.*

(52) Hos vide apud Thilonem *Cod. apocr. Prolegg.* p. LXXXI sq.

tur (53), sed etiam ab Irenaeo (54) affertur fabula quae etiamnum in eo libro legitur.

Jamvero quaeritur an, quemadmodum cum Bellosobrio visum est aliis multis, a Gnostico evangelium Thomae conscriptum sit. Hoc primum inde fit probabile quod docetismi caussam inprimis sustinet. Miraculis enim a prima inde pueritia editis Jesum divinam suam majestatem comprobasse docet, in eum ut videtur finem ut Dei filium humanae naturae prorsus expertem fuisse nec nisi speciem hominis gessisse appareat. Quod recte a nobis dici, confirmat Timotheus presbyter Constantinopolitanus ineuntis saeculi sexti, sive is qui catalogum illum librorum Manichaeorum Timothei nomine editum scripsit (55), in quo est, narrationes de infantia Salvatoris eosdem composuisse ut probarent, Christum specie tantum et non vere incarnatum esse (56). Et hoc vero in caussa fuisse videtur cur Manichaei

---

(53) Cf. *hom.* 1. *in Lucam*, ubi vetus interpres habet: Scio evangelium quod appellatur secundum Thomam et juxta Matthiam, et alia plurima legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putant aliquid scire si ista cognoverint. Alia quae ad Origenem referuntur a Richardo Simone exscripta vide apud Thilonem l. l. p. LXXIX.

(54) Cf. *adv. haeres.* I, 20. *Προσλαμβάνουσι δὲ εἰς τοῦτο κἀκεῖνο τὸ ῥᾳδιούργημα, ὡς τοῦ κυρίου παιδὸς ὄντος καὶ γράμματα μανθάνοντος καὶ τοῦ διδασκάλου αὐτῷ φήσαντος, καθὼς ἔθος ἐστίν, Εἰπὲ ἄλφα, ἀποκρίνασθαι τὸ ἄλφα. Πάλιν δέ τὸ βῆτα* etc. Vide etiam apud Thilonem l. l. p. 292.

(55) Cf. Thilo l. l. *Prolegg.* LXXXIII.

(56) Ipsa verba sunt: *ἃ συνέταξαν οἱ αὐτοὶ θέλοντες δόκησιν ἀποφῆναι τὴν σάρκωσιν αὐτοῦ καὶ οὐκ ἐν ἀληθείᾳ.*

evangelio Thomae delectarentur: fictum enim Christi corpus eos ad Docetarum exemplum somniasse (57) satis constat. Qua in re duabus potissimum de persona Christi opinionibus evangelium Thomae adversabatur; et iis qui, quos supra vidimus, Christum merum hominem habuerunt, et iis qui, ut Cerinthus, ut Basilides, Jesum a Christo distinguentes, certe ante baptismum eum non fuisse nisi hominem existimarunt.

Hujusmodi vero miraculis a puero patratis Gnosticos id ipsum probare voluisse, Christi naturam non fuisse nisi divinam, edocemur iis quae plures catholici auctores contra disputarunt. Ita plane huc quadrat quod Anastasius Sinaita (58) Melitonem Sardensem contra Marcionem scripsisse refert, et divinitatem Jesum suam per miracula triennio post baptismum edita et humanitatem vero triginta annis ante baptismum

---

(57) »*διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν κοινωνίαν τὴν ὕλην πρὸς τὸ ἄϋλον, εἰ καὶ σαρκὸς ὡρᾶτο μορφῇ.* Exemplum Christi hominibus apparentis et tamen non nati compararunt cum angelorum apparitionibus, ut Faustus apud Augustinum XXIX, 1. habet: Nam illud quidem quod saepe affirmare soletis necessario eum esse natum quia alias hominibus videri aut loqui non posset, ridiculum est, cum multoties, ut jam probatum est a vestris, angeli et visi hominibus et locuti esse monstrentur. Cf. praeterea Beausobre, l. l. I, p. 529 sqq.

(58) Cf. Routh: *Reliq. sacr.* 115. qui haec ex Anastas. Sinait. *Hodeg.* cap. XIII. affert: »*τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος.*"

transactis hominibus comprobasse. Chrysostomus vero et qui eum secutus est Euthymius Zigabenus diserte concedunt, miraculis ejusmodi, si qua puer revera edidisset, comprobari per speciem eum tantum non vero corpore exstitisse atque egisse (59). Haec Chrysostomum non dicturum fuisse puto nisi fabulas Docetis receptas de puerilibus Jesu miraculis bene notas habuisset. Epiphanius vero, quod mireris, sic existimat, sane puerum quoque miracula debuisse edere ne haeretici recte opinari viderentur, Christum tum demum hominem Jesum quum baptizaretur columbae instar ingressum esse (60). Quibus verbis ut nihil inest quod Pseudo-Thomae fabulis fidem faciat (61), ita finis agnoscitur in quem miracula Christi puerilia ab eo excogitata sunt.

Neque tamen modo id quod Jesum adhuc puerum

---

(59) »Εἰκότως οὖν ἀνέμεινε τὴν ἀνδράσι πρέπουσαν ἡλικίαν, ἵνα μὴ νομίσωσι φαντασίαν εἶναι τὰ γινόμενα· εἰ γὰρ ἐν τελείᾳ ἡλικίᾳ θαυματουργοῦντος πολλοὶ τοῦτο ὑπώπτευον, πολλῷ μᾶλλον ἐν ἀτελεῖ" etc. Cf. Euthym. Zigab. ad Jo. 2, 11 et Jo. homil. 20 et 22 ad eundem locum.

(60) »Καὶ ἔδει τῷ μὲν ὄντι καὶ παιδαρικὰ (θεοσημεῖα) αὐτὸν ἔχειν, ἵνα μὴ πρόφασις γένηται ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι ταῖς λεγούσαις ὅτι ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου ἦλθε Χριστὸς εἰς αὐτόν, ὅπερ ἐστὶν ἡ περιστερά." Cf. *haeres.* LI., *Alogorum* num. 20.

(61) Tamen ex iis quae verbis citatis ille praemittit, aliquis suspicari potest nonnihil fidei ludicris Thomae ipsum Epiphanium addidisse. Ea enim sic habent: οὐ γὰρ ὅλως τι τῶν θεοσημείων καὶ τοῦ κηρύγματος πρὸ τοῦ πειρασμοῦ ὁ Χριστὸς εἰργάσατο, εἰ μήτι ἃ ᾄδεται περὶ αὐτοῦ ἐν παιδὶ πεποιηκέναι ὡς ἐν παιγνίῳ, ὥς τινες φάσκουσιν.

miracula edidisse narrat, in evangelio Thomae ad docetismum sustentandum idoneum est; sed etiam mira prodigiorum ejus natura, quae spectrum potius quam hominem prodit. Huc accedunt singula quaedam quae in fragmentis quae supersunt — periisse enim multa ac mutilata et corrupta esse alia, non est dubium (62) — Gnosticum et quidem Docetam auctorem suadent. Ita in textu Sinaitico (cf. infra) statim ab initio *σωματικῶς ἀναστρεφόμενος ἐν Ναζαρέτ* dicitur; ibidem p. 52. sect. 2. est: *πρὸ γὰρ τῶν αἰώνων εἰμί, καὶ οἶδα πότε ἐγεννήθησαν οἱ πατέρες τῶν πατέρων ὑμῶν, καὶ ἐπίσταμαι πόσα ἔτη τῆς ζωῆς ὑμῶν*; rursusque paullo infra: *ἀληθῶς οἶδα ὅτε* (lege *πότε*) *ἐκτίσθη ὁ κόσμος*. Porro in Thilonis textu cap. VII. Zachaeus magister testatur: *τοῦτο τὸ παιδίον γηγενὴς οὐκ ἔστιν* (in textu Sinaitico: *τὸ παιδίον τοῦτο ἀληθῶς οὐκ ἔστι γηγενές*) et *τάχα τοῦτο πρὸ τῆς κοσμοποιΐας ἐστὶ γεγεννημένον*; item *τοῦτο δύναται καὶ πῦρ δαμάσαι*; item *τοῦτο τί ποτε μέγα ἐστίν, ἢ θεὸς ἢ ἄγγελος ἢ τί εἴπω οὐκ οἶδα*. Ibidem cap. XVIII. populus exclamat: *τοῦτο τὸ παιδίον οὐράνιόν ἐστιν*. Cap. IV. est: *πᾶν ῥῆμα αὐτοῦ ἔργον ἐστὶν ἕτοιμον*, item cap. V. *πᾶν ῥῆμα ὃ ἐλάλει ἔργον ἦν*. Cap. XVII. est: *ἀληθῶς τὸ παιδίον τοῦτο ἢ θεὸς ἦν ἢ ἄγγελος θεοῦ*. Quae omnia quorsum spectent in auctore doceta, ambiguum non est.

---

(62) Ut enim multa periisse e stichorum numero (*ατ'* i. e. 1300) apparet, quos vetus stichometria ad calcem chronographiae Nicephori (vide Georg. Syncell. ed. Bonn. p. 788.) evangelio *κατὰ Θωμᾶν* tribuit, ita mira codicum differentia corruptum textum testatur.

Denique huc pertinent quae apud Thilonem cap. VI, in textu Sinait. p. 52. sect. 3. de allegorica litterarum alphabeti potestate a Jesu puero coram magistro proferuntur. Haec autem tantopere cum iis consentiunt quae Irenaeus *haeres.* I, 20 ex Marcosiorum libello affert ut aut Marcosios librum Thomae aut Pseudo-Thomam Marcosiorum librum adhibuisse in promtu sit. Jamvero ab Marcosiorum aliquo ipsum Thomae evangelium conscriptum esse, non sine probabilitate cum Bellosobrio dixeris, siquidem quae gnostica esse vidimus eadem Marcosiis convenire credibile est; allegorici vero litterarum lusus an aliis praeter Marcosios placuerint, non liquet (63). Ab his vero postquam inventus est libellus, ad reliquos Docetas, inprimis ad Manichaeos transiit; neque passim, ut notum est, ipsis Catholicis displicuit.

Quae de ratione Marcosios inter atque evangelium Thomae si recte disputata sunt, simul testata est summa hujus libri antiquitas. Ipsum enim Irenaeum praecessit, nec diu post medium

---

(63) De Leucio quod suspicatus est Millius assentientibus aliis, id vehementer dubito. Cujus tot alia scripta veteres diserte commemorant, ejus si fuisset evangelium tam celebre, minime silentio praeteriissent. Neque magni momenti est quod MS. aliquod latinum nomine Leucii ornatum Oxonii asservatur teste Grabio (ad Iren. I, 17) cujus textus ab evangelio Thomae non differre videtur. Thomae enim nomen in MSS. et latinis et orientalibus admodum fluctuat; ac facile poterat scriba praesertim recentioris aetatis librum manifesto apocryphum Leucio adscribere, cujus studia apocrypha celeberrima esse nosset.

saeculum secundum prodisse videtur. Accedit praeterea ad Irenaeum testimonium Origenis, apud quem *hom.* I. *in Luc.* haec leguntur: »Scio evangelium quod appellatur secundum Thomam, et juxta Matthiam, et alia plurima legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putant aliquid scire si ista cognoverint." Quae Origenis verba quum alii Graeci, ut ex scholiis apparet, tum Ambrosius, Hieronymus aliique secuti sunt. Testantur vero etiam cum Origene et Eusebius (64) et antiquus ille Synopsis auctor (65), quos sua non ex Origene hausisse probabile est.

Quam de aetate libri sententiam potuerit aliquis eo impugnare quod nec narrationis indolem nec dicendi genus tanta antiquitate dignum judicet. At indolem libri tanquam »ad stuporem insensatorum" (*εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνοήτων*) jam Irenaeus dixit, neque fere veterum quisquam Christi persona non indignissimam judicavit. Praeterea tam insolentes nugas ab aetate illa quam supra adumbravimus abhorruisse, nemo probabit. A dicendi vero genere aetatis indicium sumere

---

(64) »*ἵν' εἰδέναι ἔχοιμεν αὐτάς τε ταύτας καὶ τὰς ὀνόματι τῶν ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας, ἤτοι ὡς Πέτρου καὶ Θωμᾶ καὶ Ματθία ἢ καί τινων παρὰ τούτους ἄλλων εὐαγγέλια περιεχούσας*" etc. Cf. Euseb. *hist. eccles.* III, 25. Vide etiam apud Fabricium *Cod. apocr.* I. p. 132.

(65) »*Τῆς νέας διαθήκης ἀντιλεγόμενα ταῦτα Περίοδοι Πέτρου, περίοδοι Ἰωάννου, περίοδοι Θωμᾶ, εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν, διδαχὴ ἀποστόλων, Κλημέντια.*" Cf. Athanas. ed. Benedictin. II. p. 202.

ut in similibus aliis plerisque difficile, ita difficillimum in hoc est, propterea quod non tutum ab injuria temporum mansisse, mira paucorum quos habemus codicum dissensio docet.

§. 11.

De evangeliis latinis et arabicis brevior esse potero. Ad graeca enim, de quibus jamjam vidimus, conformata ea esse cuivis apparet. Attamen neque haec tota repetunt, neque eodem quodvis modo narrant, et de suo addunt quae momentum habent. Quibus de rebus breviter explicandum erit.

Ac primum quidem breve illud sed satis memorabile Pseudo-Matthaei de nativitate Mariae evangelium unde ortum sit, quaeramus. Cujus auctor quae multa quum ex Jacobi libro sive graeco sive latine verso, tum ex Matthaei ac Lucae narrationibus desumsit, ea non primarium ejus finem significant. Alterum enim quidem ad suam rem adhibendum duxit, quum et a multis ubique cum studio legeretur, nec enim nisi dogmata haereticorum ibi expromta ecclesia damnabat, et traditionibus ipsius ecclesiae haud paucis satis consentiens esset; alteras vero dudum canone sancitas nullo modo impugnare sed utiliter complere volebat. Ad ea vero illustranda quae propria habet egregie faciunt tres epistolae textui praemissae, Hieronymi duae, una episcoporum Chromatii et Heliodori. Ibi traditur, Leu-

cium famosum actuum apostolicorum inventorem, apocryphum etiam evangelium edidisse, ita quidem ut Matthaei quendam hebraicum et secretum libellum primus verteret suisque commentis turpiter falsaret. Quibus haereticis deliramentis ut sincera ejus libelli interpretatione obviet, Hieronymum duo illi episcopi rogant. Quaerenti vero quid tandem Leucius in evangelio suo in Manichaeorum gratiam finxerit quod tantum videretur fidei detrimentum adferre, facile in mentem venit illud de generatione Mariae a Fausto probatum graviterque ab Augustino perstrictum, patre Mariam usam esse ex tribu Levi sacerdote quodam nomine Joachim (66). Hoc de Levitico Mariae genere commentum (67) a Leucio (68) sive

(66) Cf. August. c. Faust. XXIII, 4. 9.

(67) Hoc nescio an primum ex Testamentis XII patriarcharum fluxerit, ubi Christus, ut et summus sacerdos et rex exsistat, ex utraque tribu et Juda et Levi proditurus dicitur; quapropter quum nutricius Jesu, quem auctor Testamentorum ad genealogiam Jesu pertinere non dubitasse videtur, ab ipso angelo filius David nuncupetur, Maria de tribu Levi esse debere visa est. Quae summorum munerum in Christo conjunctio (cf. Epiphanius apud Thilonem *Cod. apocr.* p. 375) postea placuit tantopere ut Christum a Josepho nutricio genus ducere negantes in una Maria utramque tribum conjunctam dicerent; quod etiam in illa de Jesu in sacerdotium cooptato historia apud Suidam inest.

(68) Hic enim fortasse libri *γέννα Μαρίας* inscripti auctor erat, de quo Epiphanius *haer.* XXVI. Gnosticorum num. 12. haec habet: *ἄλλα δὲ μύρια παρ' αὐτοῖς πεπλασμένα γραφεῖα τετόλμηται. Γένναν μὲν γὰρ βιβλίον τί φασιν εἶναι ἐν ᾧ δεινά τε καὶ ὀλέθρια ὑποβάλλοντές τινα ἐκεῖσε λέγουσιν* etc. Vide etiam apud Fabric. l. l. I. p. 2 sqq.

factum sive repetitum est, quippe quo ad fulciendas opiniones suas egregie uti posset; quemadmodum non modo a Fausto pertinaciter defensum sed etiam Montanistis pariter ac Manichaeis celebratum esse videtur. Verum quam id molestum Catholicis esse debuerit, quod jam ex Augustini exemplo discimus, non obscurum est. Davidicam enim Christi originem, et a prophetis et ab apostolis praedicatam, aliunde quam a Mariae stirpe (69) derivandam esse ecclesia constanter negavit. Ad hoc igitur compilatum est evangelium nostrum ut contra haereticos illos cum Matthaei auctoritate progeniem Mariae virginis Davidicam evinceret et tamen confirmaret quae ab iisdem pariter atque a Catholicis circa ortum et juventutem Deiparae credebantur. Illud vero an, quod ex epistolis evangelio praemissis concludendum videtur, in reliquis quae fidem ipsam non tangerent revera ad scriptum quoddam Leucii conformatum sit, vehementer dubito, quum nihil contineat quin aut ex Matthaeo et Luca itemque Jacobi libro, aut ab arbitrio compilatoris explicandum sit. Posterioris quidem generis inprimis ea sunt quae significant, jam Mariam praeclarum dedisse exemplum vitae monasticae, quam ipsam hoc modo speciose commendare ex auctoris consilio fuisse videtur. Quam in rem gravissimum illud est quod

(69) Hinc in evangelio Pseudo-Matthaei Josephi genus quale fuerit ne tangitur quidem.

ex Protevangelii scriptura cap. VIII: τοὺς χηρεύοντας τοῦ λαοῦ fecit: »nuptui habiles non conju»gatos."

De aetate libri si quaeritur, ut Hieronymi obitu non potest prior esse, ita nec multo posterior esse videtur. Hinc finem saeculi quinti conjecerim. Manichaeorum opinio de levitica Mariae progenie debebat tum adhuc in ore atque auctoritate esse; perpetuae vero virginitatis Mariae laus ipsiusque Mariae veneratio jam nihil novi habebat. Tum ipsum vita monastica in honore esse coepit. Ceterum is qui scripsit, sive fictas epistolas sive ipsum evangelium spectas, fingendi artem haud vulgarem prodidit; quae quidem tantum in ecclesia eventum habebat, ut hoc scriptum inter ipsius Hieronymi opera edere placeret.

§. 12.

Evangelium alterum latine scriptum, cui Thilo qui primus edidit hunc titulum fecit: *Historia de nativitate* Mariae *et de infantia Salvatoris*, hanc difficultatem habet quod in antiquis codicibus valde discrepat. Modo enim pauciora, modo plura continet. Plura quidem ut addantur, postulare videtur alterum quod in titulo est, *de infantia Salvatoris;* adduntur enim in libris Mss. plerumque fabulae quae in evangeliis infantiae leguntur. Qua de re accuratius disserere, hujus loci non est. Etenim evangelium istud cum magna licentia ad graecum Jacobi

compositum est, spretis paucis, ut historia de ZACHARIAE nece, additisque quae sanctae familiae in Aegyptum fugienti mirabilia acciderunt. Postrema rursus probabiliter miraculis iis augebantur quae puer a quinto anno usque ad duodecimum edidisse ferebatur.

Jamvero haec non quando scripta, sed quo tempore primum latino sermone collecta sint, quaeritur. Sed quum alia jam dudum, alia serius translata videantur, tum non est credibile, formam libri antiquitus ejusmodi exstitisse quae prae ceteris recepta esset. Clarum hoc est, non haereticum hominem sed catholicum scripsisse, traditionibus ac fabellis apocryphis sine malitia quamvis temere delectatum. Praeterea plura insunt quae probant, tum temporis historias Pseudo-JACOBI jam larga manu excultas fuisse. Ejusmodi est descriptio JOACHIMI pastoris inter montes pascentis; inepta exaggeratio de sortibus circa JOSEPHUM et MARIAM; item duarum obstetricum negotia; item anni SYMEONIS senis centum tredecim (70). Porro quae sub finem evangelii leguntur, partim edita partim manuscripta, jam e fontibus orientalibus, arabicis maxime, fluxisse videntur. Ex iisdem petita crediderim quae huic evangelio peculiaria capp. XVIII et XIX leguntur; nisi forte, quod Romae semper tantopere placuisse constat, imperium illud circa bruta

(70) Memoratu etiam dignum est quo modo capite XIV. speluncam, in qua MARIA secundum Pseudo-JACOBUM atque tot alios veteres partum edidit, consociavit cum stabulo de quo LUCAS 2, 7. loquitur.

in caussa erat cur ab ipsis occidentalibus talia fingerentur.

Res vero inprimis duae sunt unde conjicias quis scripserit. Quum enim auctor hoc agit ut perpetuae castitatis laudem dicat atque auctoritate Mariae ad virtutes commendandas monasticas utatur; tum sacerdotii se studiosum praebet. Ad alterum spectat quod cum singulari amore laudabilia Mariae dum in templo versatur opera describit cap. VI; quod de virginitate Abelis et Eliae exponit cap. VII; quod a Maria novum ordinem placendi Domino inventum declarat cap. VIII; quod Joachimum per quinque menses absentem et tamen Annam vetulam intra hos concipientem facit (71); ad alterum vero quod (cum Pseudo-Matthaei evangelio) liberalitatem Joachimi erga sacerdotes praedicat; quod conjunctas in Abele oblationis et virginitatis coronas celebrat.

Ex quibus omnibus si quid conjicere licet, doctus quidam monachus circa tempora Caroli Magni, dudum edito evangelio Pseudo-Matthaei, a quo codices nonnulli epistolas Hieronymi et episcoporum mutuati sunt, hujus evangelii auctor exstitit.

§. 13.

Arabicorum scriptorum alterum, quod *evangelium infantiae* dicitur, collectio est mira mi-

(71) Hoc enim modo auctor innuit, ipsam Mariam praeter humanum morem conceptam esse videri.

raculorum quae circa Jesum ab ejus ortu usque ad duodecimum annum versantur. Quod non ita primum a quoquam scriptum sed ex aliis scriptis collectum esse, statim ab initio indicatur, ubi testimonium de Jesu in cunis matrem allocuto diserte ex Josephi libro affertur; porro ex eo apparet quod cap. 26 habetur, redeuntes parentes cum infante ex Aegypto, non ausos intrare Judaeam, statim Nazarethum petiisse, et tamen capp. sqq. miracula quae inter hanc ipsam viam Bethlehemi acciderunt narrantur; item ex nota compilatoris capite 25 posita de evangelio infantiae et evangelio perfecto (i. e. evangelio, quod proprie dicis, sive canonico). Praeterea huic sententiae ipsae res quae hic in unum collectae sunt fidem faciunt.

Unde enim ortum sit si quaeritur, aliam partem ad evangelium Jacobi, aliam ad evangelium Thomae conformatam esse, manifestum fit. Haec complectitur capita extrema inde a tricesimo sexto; illa capita prima usque ad nonum. Reliqua vero potissimum ex orientalibus traditionibus, quemadmodum apud Syros, Persas, Aegyptios ore propagabantur, videntur hausta esse. Quod ex ipso harum fabularum ingenio probabile fit, quod totum fere est in magicis et superstitionibus ejusmodi quales apud istos et placent maxime et plerumque exercentur. Atque ex eodem genere sunt ea quae ad commenta ex aliis libris petita adduntur, ut ortus Messiae a Zoroastre praedictus (cap. VII), ut taenia in-

fantis data Magis a Maria (ibidem), igne non comprehensa (cap. VIII), ut quae de pueri peritia astronomica et physica referuntur capp. LI, LII. Huc quadrat etiam quod sycomorus prope Matarеam pagum cap. XXIV etiamnum in veneratione habetur; item quod »tinctores Persae hodieque Christum pro patrono venerantur et tinctoriam domum officinam Christi nuncupant," cf. cap. XXXVII et Thilonis nota ad h. l.

Quod jam ex hac orientali fabularum natura colligendum est, ipsum opus apud orientales eos quos supra dixi ortum esse, id aliis indiciis fere certum fit. Nimirum apud Syros Nestorianos ortum esse, a viris doctis et linguarum et rerum orientalium peritis magna cum probabilitate effectum est. Id enim probatur 1) eo quod auctor *τὸν δεσπότην Χριστόν* et *τὸν κυριον Ἰησοῦν* ex constanti Nestorianorum usu distinguit (72); 2) quod annus epochae Graecorum, quo Christus natus dicitur cap. II, cum communi Syrorum de ea re sententia convenit (73); 3) quod Josephus historicus cum Cajapha pontifice confunditur cap. I ex peculiari Syrorum opinione (74); 4) quod in arabico textu sunt, quae ex syro translata esse certum est (75). Huc denique accedit, quod liber iste inprimis apud

(72) Cf. Thil. *Cod. apocr.* Prolegg. p. XXXIV sq.
(73) Cf. Thilo l. l. p. XLIII sq. sub nota 35.
(74) Cf. Thilo l. l. p. XXIX.
(75) Cf. Thilo l. l. p. XXXV.

Nestorianos, tum Syros tum Malabarenses tum Persas, in usu atque favore fuisse, jam a SALOMONE BASSORENSI episcopo saeculi XIII et ab aliis traditum est. Quid quod etiamnum passim apud Nestorianos illarum terrarum cum studio legi fabulasque ibi expositas variis modis celebrari peregrinatores nostri narrant.

Praeterea suspicari licet, in eum finem hanc collectionem evangelicam institutam esse ut adhiberetur quibusdam diebus festis, quales, MARIAE dicatos, ex antiquo libro abyssinico WANSLEBIUS recenset (76). Quod non ex nostro sed illorum judicandum est ingenio, quippe quod nec pueriles nec aniles (cf. cap. V) fabellas respuerit. Propter istum usum etiam factum videtur quod miracula, si exceperis paucissima (capp. 46, 47), ita narrantur, ut beneficum pueri JESU animum prodant, quum in libro THOMAE passim iracundum potius ac maleficum deprehenderis. Exempli caussa confer cap. 46 de puero piscinas destruente cum ev. THOMAE cap. III. Sed re parum perspecta KLEUKERUS statuit, propter diversam hanc miraculorum naturam non posse evangelium arabicum ex graeco THOMAE fluxisse (77).

De aetate libri conjicere quicquam difficile est. MOHAMMEDIS quidem tempora eum praecessisse existimo. Quamquam enim Corani auctor ex iis

(76) Cf. THILO l. l. p. XXXVIII.
(77) Cf. KLEUKER S. 970.

quae ore circumferebantur haurire sua poterat, tamen traditiones hujusmodi apocryphas, quarum multas jam secundo saeculo ortas vidimus, non credibile est diu ab usu atque cultu orientalium hominum remotas fuisse. Quid enim vero erat quod eis talia posterioribus potius saeculis quam prioribus commendaret? Putaverim ea Nestorianis eo magis placuisse quo magis, ut fere fit, a Catholicis publice explosa nossent. Id quod nescio an in tempora quadret Gelasii I. Certe auctor hujus evangelii syrus, si non ipse ad quintum vel sextum saeculum pertinebat, ex orientalibus potius libris quam e graecis collegisse putandus erit. Dialectum arabicam quae in editis est jam Sikius primus editor notavit haud multum dissimilem esse arabicae versioni Novi Testamenti ab Erpenio editae. Sed nec de hujus aetate satis constat, idemque Sikius arabicum ex syro translatum probavit. Ac poterat facile ipse arabicus liber, qui saepe et cum amore describeretur, ad recentiorem sensim dialectum conformari.

§. 14.

Alterum opus arabicum multis nominibus memorabile titulo insignitur *historiae* Josephi *fabri lignarii*. Quod ut partim sublimi quadam simplicitate, ita partim orientali verborum sententiarumque luxu conspicuum est. Auctori pro-

positum erat ut de morte Josephi nutricii Jesu exponeret. Quod fecit capitibus a 10 usque ad 28, in quibus de ejus morbo, obitu ac funere prolixe agit, praemissis prioribus capitibus, in quibus evangelio Pseudo-Jacobi maxime usus breviter memorabilia vitae ejus tractat, itemque additis paucis de Josepho defuncto et Henocho Eliaque nunquam defunctis.

Cujus libelli ratio dogmatica fere haec est. Postquam in divinam Christi personam subtiliter inquiri coeptum est, videndum erat ut ne parentes qui dicebantur, de quibus quum ipsi libri sacri nil definite praeciperent, tum primis ecclesiae temporibus varia ac diversa credebantur, perfectae Christi divinitati officerent. Hinc pia quae videbantur commenta, ut Mariam de communi ratione reliquorum hominum quam maxime exemtam, docebant, ita mox etiam Josephum a Christo maximopere honoratum cultuque singulari dignum pingebant. Huic cultui Josephi, sanctissimi viri, morti quidem obnoxii, sed ad beatos statim transgressi, hoc istud inserviens est, videturque ad id maxime destinatum fuisse ut die Josephi festo, in memoriam obitus ejus instituto, in coetibus praelegeretur. Quem in usum compositum esse, libri stilo probatur, ut dudum observatum est, homiliae potius quam historiae proprio (78). Ipse porro dies festus di-

---

(78) Cf. inprimis cap. I praeclarum praelectionis ejusmodi exordium.

serte commemoratur. Momentum etiam habet quod cap. 28 in hunc diem oblationes et beneficia piis commendantur.

Quae festa Josephi memoria si certo constaret quando primum in ecclesia orientali, a qua post demum ad occidentales transiit, esset instituta, facile de hujus operis aetate judicari posset. Temporibus enim circa eam institutionem videtur originem cepisse. Id quod in quintum fere saeculum quadrat. Quae sententia ab indole libri nullam difficultatem habet. Convenit enim simplicitas qua res ex evangelio Jacobi petitae narrantur. Item res quae Josephum senem spectant, quae mortem et animas pias, quae angelos et coelos et similia tractant, ut nil novellae superstitionis produnt, ita concordant maxime cum iis Judaeorum de his rebus opinionibus, quae primis saeculis a Christianis etiam plerumque receptae sunt. Praeterea notabile est convivium mille annorum capite 26 traditum, quod post saeculum III vix amplius nisi apud haereticos auctoritatem habebat; item quod cap. 5 mors instare dicitur Mariae virgini, quam quinto jam saeculo mirabiliter in coelum assumtam esse permultis placuit.

Quaerendum etiam de lingua, qua libellus iste primum conscriptus videatur. Equidem cum Thilone a Copto profectum arbitror. Quam in rem memphitici et sahidici codices quibus continetur plus probant quam alii arabici. Apud Coptos enim ex multorum saeculorum usu mos

obtinet versionis arabicae coptis libris addendae; quoniam dudum sermo coptus apud eos abolevit in ejusque locum successit arabicus. Hinc est etiam quod in libro tot indiciis eximiae antiquitatis insigni arabicus textus non antiquissimam dialectum refert. Etenim arabici quoque codices plures ex Aegypto ad nos advecti sunt. Porro Coptum potissimum auctorem suadet quod Josephus faber lignarius inprimis, si non primum, apud Coptos suum diem festum habuisse videtur. Qui nutricii Jesu cultus cur Monophysitis africanis prae ceteris placuerit, non obscurum est. Facile etiam chiliasmus quem dicunt Christianis coptis, ingenii mystici ac fanatici, maximeque iis qui innumeris monasteriis deserta Libyae incolebant, etiam tum placere poterat quum ecclesia et graeca et latina dudum repudiarat. Neque obstant quae cap. 14 de essentia spiritus sancti leguntur, quamquam plerique orientales aliter senserunt; fere enim iis consentiunt quae a Cyrillo Alexandrino in hanc rem dicta sunt (79). Denique hac conjectura standum est quamvis invita Isidori de Isolanis auctoritate. Is enim, exemplari latino testante textum hebraeum in latinum anno 1340 translatum esse, malebat hebraeum scriptorem; quem eundem nuper Borberg eo magis tenebat quum ex ingenio libri multis locis Hebraeum agnovisse sibi videre-

(79) Cf. Cyrill. *Anathem.* IX in Theodoreti opp. V. p. 44.

tur (80). At quum haud probabile sit in usum Christianorum ex Hebraeis Aegyptum vel Syriam habitantium, opus coptum hebraice versum esse — Hebraei enim ubique bilingues sunt — interpretem latinum libri sui commendandi caussa ad hebraeum textum provocasse censeo, quemadmodum tot apocryphorum hujus generis auctores ex hebraeo se transtulisse finxerunt. Quod ut fingeret, fecit etiam quod capite primo apostoli hunc sermonem litteris consignatum in bibliotheca Hierosolymitana reliquisse dicuntur.

§. 15.

Pervenimus ad evangelium quod Nicodemi nomine inscribi solet, magnae illud quidem et ambiguitatis et auctoritatis. De ejus origine probabiliter statui non potest nisi ante de libri unitate et textus integritate convenerit. Librum autem, quemadmodum post alios a Thilone editus est, duabus constare partibus, quarum prior capp. 1—16 de Christo accusato et damnato, crucifixo, sepulto, redivivo exponit, posterior a cap. 17 usque finem filiorum Symeonis e mortuis in vitam reversorum testimonia de Christi ad inferos descensu tradit, dudum observatum est. Has non ab eodem auctore profectas esse neque magis destinatas ut in unum conjungerentur, his fere argumentis probatur:

(80) Hujusmodi certe non est quod capite II. Josephus uno fere tenore et ex tribu Juda et sacerdos fuisse traditur.

1) Testes antiqui plurimi et graeci et latini quum THILONIS tum mei, item coptus meus, alteram partem et quidem priorem absque altera exhibent. Qua in re memorabile est quod, ni fallor, non innotuit codex qui secundam partem solam habet (81). Unde concluseris, esse aliquando a quopiam eam de filiis SYMEONIS historiam ex tenebris protractam et actis de ultimis CHRISTI rebus annexam; quod nisi factum esset, videri cum tot aliis perituram fuisse.

2) Prior pars in antiquis codicibus suum quendam finem habet, quo libellum concludi apparet. Hanc clausulam THILONI minus recte visam esse ab imperito librario adjectam, ut alia mittam, eo probatur quod jam in vetustissimis foliis papyraceis coptis Taurini asservatis invenitur. Rursus vero secundae partis fluctuat exordium, quippe quod alii aliis arctius cum priore conjungendum duxerint.

3) Ipsum alterius partis argumentum, de quo accuratius post videbimus, per se stat, quamvis priori non prorsus inconveniens sit. Sermonis quoque graeci et stili in utroque aliqua differentia conspicua est.

4) Memorabiles inprimis duo loci sunt, alter prioris alter secundae partis, quibus verba latronis

---

(81) Equidem solam non inveni nisi in historia evangelica codicis AMBROS. ex apocryphis et canonicis conflata, ubi »Ploratum et lamentationem quos faciebat virgo MARIA de filio suo" excipit »Resuscitatio filiorum sancti SYMEONIS." Ipsa vero incipit: »In evangelio autem NICODEMI legitur quod CARRINUS et LEUNTINUS" etc.

in cruce Dominum alloquentis quum diverso modo referantur, non possunt ab eodem auctore relata esse. Altero enim, cap. XXVI, est: *Κύριε, ὅτε βασιλεύσεις, μή μου ἐπιλάθῃ.* Altero vero, cap. X, eodem fere quo apud Lucam modo scribuntur: *Μνήσθητί μου, κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου* (82).

5) Ea quae cap. XVI circa Symeonem versantur non ejusmodi sunt ut exspectes filiorum Symeonis historiam. Quam si auctor prioris partis in animo habuisset, jam isto loco praeparandam aliquo modo duxisset. Possunt ista vero in caussa fuisse cur haec de redivivis historia interpolatori ad complendum evangelium idonea videretur.

Praeterea duobus potissimum locis ea quae in editionibus leguntur suspecta sunt; prima et extrema dico. Haec quod attinet, mihi dubium non est quin ea quae latine tantum habentur, inde a verbis: »Et postquam compleverunt omnia scribentes," latinus homo, adhibitis paucis quae graece exstant, post demum affinxerit. Quae res propterea gravis est quod nomina Carini et Leucii, quibus Bellosobrius (83) ad inveniendam libri originem usus est, in graecis plane non exstant. His

(82) Similis ratio est verborum quae Marc. XVI, 16 edi solent: *ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται.* Haec quemadmodum in *Actis Pilati* XIV. p. 622. leguntur, graviter differunt a *Descens. Chr.* XVIII. p. 682. Equidem non puto auctorem *Descensus* verba *καὶ βαπτισθεὶς* in oratione baptistae apud inferos omissurum fuisse si ea a Christo dicta nosset quemadmodum auctor *Actorum* novit.

(83) Cf. *Histoire de Manichée*, I. p. 370 sqq.

majorem ambiguitatem duo libri initia habent; quorum alterum verbis Ἐγὼ Ἀνανίας incipit, alterum verbis Ἐν ἔτει. In codicibus aliis utrumque, in aliis alterutrum desideratur; in iis vero qui habent magna textus differentia est. Tamen utrumque jam in antiquissimo teste copto est, item ut videtur in codice latino rescripto Vindobonensi quinti fere vel sexti saeculi. De qua re mihi sic videtur. Is qui librum, varie a se interpolatum, tamen non primum a se scriptum sed repertum, tanquam Ananiae sive Aeneae nixum auctoritate inventumque imperantibus Theodosio et Valentiniano edidit, de suo addidit priora: Ἐγὼ Ἀνανίας etc.; item quod indicium temporis libro praescriptum invenerat retinuit. Complectebatur illud ex antiquo more (84) fere haec: Ἐν ἔτει usque τῶν Ἰουδαίων Καϊάφα. Postea alii Nicodemi malebant auctoritatem sive interpretis sive auctoris: haec enim in codicibus fluctuant, quorum aliis Nicodemus Aeneae, aliis Aeneas Nicodemi interpres dicitur. Hinc prioribus: Ἐγὼ Ἀνανίας etc. vel omissis vel perperam repetitis vel ex arbitrio immutatis — quemadmodum in latinis apud Thilonem jam ipsius Nicodemi nomen intrusum legitur — addiderunt illa: καὶ ὅσα μετά etc. sive similia; et haec enim satis fluctuant. Rursus alii prologum omiserunt utrumque, praesertim quum utrumque conjunctum cum se ipso pugnare in aprico esset; antiquis-

(84) Cf. quae Thilo ad h. l. exempla affert *Cod. apocr.* pag. 498.

simum vero temporis in talibus indicandi modum nec norunt nec necessarium habuerunt.

Atque haec quidem de duplici libri praefatione. Historiae vero initium, in quo est: *Ἄννας καὶ Καϊάφας* etc. ab eodem profectum esse existimo qui libri Aeneae sive Ananiae auctoritate edendi curam suscepit. Cujus quum antea alia ratio esset, et ipsa passim jam divulgata, factum est ut modo pristina modo recentior repeteretur, modo ex variis nova conflaretur. Similiterque quae per totum textum mira lectionis varietas conspicua est, potissimum inde est derivanda quod quae huic editori debetur universa libri forma non tantam auctoritatem habebat ut pristina nec repeteretur nec cum nova confunderetur.

His de unitate libri textusque integritate disputatis, de nomine Nicodemi auctoris quaerendum est. Hoc nomen magnos ac graves de nostro libro errores creavit. Quod quum ab antiquis non citatum viderent, ipsum evangelium, quippe quod Nicodemi diceretur, sat recenti memoria i. e. sexto fere saeculo prodisse opinabantur (85). De Graecis enim nil testimonii de evangelio Ni-

(85) Exempli caussa vide virum celeberrimum de Ammon, in sua de his evangeliis disputatione acumen quo excellit parum probantem: *Leben Jesu*, 1 Band. pag. 102. Ibi est: Da trat zwischen dem sexten und zehnten Jahrhundert ein kleines Buch hervor etc. Quibus mirum in modum statim subjungit: Unter den lateinischen MSS. der lateinischen Uebersetzung, die bereits zu Ende des sexten Jahrhunderts ein gewisses Ansehn erhielt etc.

codemi repertum est, nisi quod in veteri Synaxario est: *Λέγεται μέντοι ὡς καὶ Νικόδημος οὗτος λεπτομερῶς τὰ κατὰ τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ καὶ τὴν ἀνάστασιν συντάγματι διεσάφησε πρῶτος πάντων* etc. cf. Thil. Prolegg. CXIX. Id quod ipsum Thilo mavult, ut videtur, ab interpolatore quam auctore Synaxarii profectum esse. Neque magis de Latinis quisquam nomine evangelii Nicodemi usus dicitur ante Vincentium Bellovacensem, in *Speculo historiali*, et Jacobum de Voragine in *Lombardicis historiis* (cf. Thil. l. l.). At nec in codice ullo graeco usquam repertum est *εὐαγγέλιον κατὰ Νικόδημον* sive simile quid; neque magis in plerisque cdd. latinis est »evangelium Nicodemi"; nec denique in teste copto est; quamquam in plurimis cdd. et graeci et latini textus itemque in copto studiorum Nicodemi circa librum plana mentio fit. Quid tandem igitur rei est? Nomen evangelii Nicodemi titulus est recens vel potius recentissimus, i. e. qui post Caroli Magni fere tempora uni et alteri hominum occidentalium placuit atque post prae ceteris — nam multos etiam alios titulos fuisse testatum est — apud eosdem occidentales in usum venit (86). Nimi-

(86) Fuit qui diceret, evangelii Nicodemi nomen a Britannis excogitatum videri, quippe Nicodemum primum ipsorum apostolum jactantibus. Quae conjectura inde aliquam probabilitatem habet, quod antiquissima omnium recentiorum versionum est anglosaxonica; quod documento est quanto honore opus istud jam pridem in Anglia habitum sit. Tamen pro praecipuis quae Nicodemi in libello sunt partibus, facile aliquis nomen evangelii Nicodemi invenire poterat.

rum petitus est inde quod haec »Ὑπομνημονεύματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ", haec »Gesta Pilati", hi »Commentarii Salvatoris conscripti sub Pontio Pilato" ab Nicodemo sive hebraice scripti sive graece versi diserte dicuntur in prologo. Ipsa vero Gesta Pilati, quod nomen apud Gregorium Turonensem (*Hist. Franc.* I. cap. XXI et XXIV) medio fere saeculo sexto identidem legitur (87), sive Acta Pilati i. e. τὰ ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενόμενα ἄκτα, quod nomen Graecis celebratur, prorsus non pendere a testimoniis de »evangelio Nicodemi" jam satis superque clarum esse existimo.

De ceteris nostri libelli nominibus unum memorabile est, quo et ipso probatur antiquis evangelii Nicodemi non librum sed nomen ignotum fuisse. In Vaticano enim codice meo et in Parisiensi Montefalconii (cf. Thil. l. l. CXLI) »evangelium Nazaraeorum" dicitur, rursusque in alio »evangelium Nazaraeorum secundum Nicodemum", quod nescio an inde originem traxerit quod Latinus aliquis illud Nazaraeorum evangelium, quod Hieronymus ex hebraeo in latinum a se translatum dicit, pridem deperditum, his commentariis, quorum fortasse exemplar nulla

---

(87) Perperam est quod Arens l. l. p. 18 ex iis quae aliquantum differunt, conclusit, Gregorio Turonensi evangelium Nicodemi quale nunc sit, ignotum fuisse. Sane quidem ignorabat quae postea varia libri forma obtinebat; sed illa »Gesta Pilati," in quibus quae affert se legisse testatur, omnino priorem evangelii Nicodemi partem efficiunt.

praefatione auctum in manibus habebat, feliciter invenisse sibi visus est inventumque religiose, nisi mavis temere, expressit in titulo.

Jamvero parum attinet quaerere quando et a quonam primum liber noster duabus partibus in unum conjunctis editus sit, quod editoris exemplum postea nonnullis et graecis et latinis aliisque usque adeo placuit ut repeterent. Ad eum quidem qui libro prologum praefixit id non referendum puto, quoniam nil ejus rei in prologo suo significavit, et multi cum prologo codices habentur absque historia filiorum Symeonis. Primus quidem conjunctas partes latinus codex Einsidlensis testatur, quem, ni fallor, octavo fere saeculo adscribunt. Sunt autem, ut liquet, eum in finem conjunctae ut gravitatem testimonii, quod quale fuerit statim explicatius dicemus, alterius altera augeret.

Sed jam tractanda nobis est gravis quaestio de iis Pilati Actis quae testes nostri plurimi — sunt autem numero sat multi — se referre diserte profitentur. Hac in re ante omnia repetenda est memoria eorum actorum Pilati, ad quae jam Justinus bis provocat, atque item post eum alii. Haec an vera Pilati fuerint acta, ab ipso vel ipsius auctoritate conscripta ac Romam ad imperatorem missa, qualia exstitisse quum ex antiquo more, cujus testis etiam Eusebius est (88),

---

(88) » παλαιοῦ κεκρατηκότος ἔθους τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα τῷ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ἐπικρα-

ex traditione apud patres communi probabile fit, id a nemine opinor serio quaeri potest. A scriptis enim judiciariis ejusmodi ea quae inde allegantur ab Justino (89) aliisque, prorsus abhorrent. An igitur spuria fuerunt, quorum auctor Pilati nomine per fraudem abuteretur? Id ipsum ex Justini verbis certo effici nequit, quum utroque quem citat loco constanter dicat *ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων μαθεῖν δύνασθε.* Neque magis id postea a plerisque creditum esse (90), conjicere licet ex *ἀνάφορα Πιλάτου*, cui tanquam ad id ipsum scriptae ut mitteretur ad Caesarem codices aliquot significant etiam acta ista adjecta esse (91). Nihilominus quae »sub Pilato confecta" dicit acta, quaeque post alii pro ipsius Pilati actis Caesari et destinatis et missis habebant, ea inquam jam Justino magnae auctoritatis esse videbantur, quam utique non habebant nisi a nomine Pilati, testis rei gestae gravissimi et qui idem ut videtur ab Justino suasor libelli publico usui destinati credebatur. Eadem

---

τοῦντι σημαίνειν" etc. Cf. *hist. eccles.* II, 2. Vide apud Fabric. *Cod. apocr.* I, p. 218.

(89) Cf. *Apol.* I. p. 76, *καὶ μετὰ τὸ σταυρῶσαι αὐτὸν ἔβαλον κλῆρον ἐπὶ τὸν ἱματισμὸν αὐτοῦ καὶ ἐμερίσαντο ἑαυτοῖς* etc. Ibidem p. 84. *ὅτι δὲ καὶ θεραπεύσειν πάσας νόσους καὶ νεκροὺς ἀνεγερεῖν ὁ ἡμέτερος Χριστὸς προεφητεύθη.* Vide apud Fabric. l. l. p. 214.

(90) Quod si auctor prologi credebat, nihil ineptius fingere poterat quam hebraicis ea litteris conscripta fuisse. Hinc an crediderit dubito.

(91) Vide infra in appendice critica: *Ὁ οὖν Πιλᾶτος μετ' οἰκείας αὐτοῦ ἀναφορᾶς ἐξέπεμψεν αὐτὰ* (i. e. *τὰ ὑπομνήματα*) *τῷ Καίσαρι.*

acta mox inter Christianos satis divulgata esse, et Tertullianus et Eusebius et Epiphanius aliique multi testificantur. Haec igitur an eadem ac nostra fuerint, quaeritur. Quodsi eadem fuisse contendere temerarium est, diversa fuisse nemo demonstrabit. Quaecumque enim inde protulerunt veteres, eadem in nostris inveniuntur actis. Quae non parvi momenti res est. Neque enim obscurum quid aut late patens, sed quaedam satis peculiaria ac definita et ejusmodi quae in actis Pilati minime exspectes, a Justino citantur, quale est quod qui crucifixissent, sorte missa, partiti sint vestimenta crucifixi; item quod ille morbos curaverit defunctosque restituerit in vitam Neque rursus haec in actis nostris ita narrantur ut ad Justini verba possis accommodata putare. Huc accedit quod, sive res sive linguam spectas, tantum non nihil a secundo saeculo alienum in nostris actis invenitur. Et in rebus quidem inprimis grave est illud accusatorum de Jesu ἐκ πορνείας nato opprobrium. Quod quum jam Celsum eo usum esse ex Origene discamus, quemadmodum etiam in Gemarae tractatu Sanhedrin (cap. VII) reperitur, unde multis saeculis post transiit in famosum libellum *Toledos Jeschu*, dubitari non potest quin a secundi saeculi Judaeis jam ante Celsum excogitatum sit. Idem postea apud rei Christianae adversarios magnopere valuisse nec traditum nec verosimile est. Unde sequitur, scriptum cui hujus opprobrii refutandi primarium quoddam consilium inest,

secundo potius saeculo quam post prodiisse videri. Porro linguam quod attinet, collatis evangeliis synopticis itemque Jacobi et Thomae apocryphis, difficillimum ad probandum erit, acta nostra Pilati a Judaeo-Christiano secundi saeculi non sic potuisse scribi. Illud quidem plane ineptum erat, frequentem hebraicarum dictionum usum, quo confirmatur libri antiquitas, e prudentia ac fraude fabulatoris vetera imitantis esse dicere (92).

Praeterea etiam illud magni est faciendum quod, teste Eusebio, Maximinus acta Pilati calumniis plena, sine dubio et ipsa suppositicia, iis opposuit quae Christiani jactabant, legique ac disci in scholis jussit. Quae enim in his Christianorum acta spectantur, nequaquam rursus alia ab

---

(92) Prae aliis quae parum probabilitatis habent ad probandam posteriorem libelli nostri originem, quale est *ἡ ἁγία πόλις Ἱερουσαλήμ*, *ὁ ἅγιος τόπος Ἱερουσαλήμ* (cf. Arens l. l. p. 17 sq.), graves sunt tituli quibus et Pilatus (p. 504 *τὸ ὑμέτερον μέγεθος*, al. *τῆς μεγαλότητός σου*, al. *τοῦ ὑμετέρου κράτους*; p. 550 *εὐσεβής*) et imperatores Romani (p. 578 *τῶν εὐσεβῶν βασιλέων*) insigniuntur. Sed ut hic imperatorum titulus a sententia Pilati capitali, in qua expressus legitur p. 578, omnino alienus videtur, ita nihil obstat quin ab homine Judaeo secundi saeculi scriptum putemus. Cf. Thilo p. 579 et quos ibidem Spanhemii, Casauboni aliorumque libros laudat. Neque magis prior ille Pilati titulus, de quo conferendus est Ducangius in Glossar. sub *Magnitudo* et *Μεγαλειότης* — posterior enim etiam minorem difficultatem habet — nostram de antiquitate libri sententiam impedit.

De eo quod Christus linteo praecinctus dicitur in crucem actus esse p. 552, quod ad modum pictorum serioris aevi dictum temere creditur (cf. Arens l. l. p. 17. Thilo p. 583), uberius infra dicetur.

Justini actis esse possunt. Quae vero saeculo tertio tantam apud Christianos auctoritatem habebant, ut Maximini fraude ac studiis digna viderentur, quo tandem modo subito perire poterant? Aut quem tandem, quum vetera tam bona tantaeque ex usu auctoritatis esse sciret, alia nova ficturum fuisse putemus, ac fecisse vero cum tanto successu ut novis suis vetera laudata opprimeret atque extingueret?

Quae quum ita sint, concludo acta Pilati quae ad nos pervenerunt, in rei summa ab iis quae jam secundo saeculo exstitisse Justinus testatur non diversa esse, nisi quod sensim multifariam immutata atque interpolata censenda sunt. Quae interpolatio quum plane ex more apocryphorum librorum sit, tum significata est a veteribus; diversa enim jam veterum exemplaria fuisse disertis verbis Epiphanius dicit, et ipsa de die passionis Christi differentia ex his actis laudata probat. Praeterea jam expositum est de mira textus varietate in antiquis codicibus conspicua, luculento partium interpolatorum teste.

Jamvero haec acta per quem et quo consilio composita putemus, id neque per se dubium et dudum a multis probabiliter dictum est. Composita enim a Christiano ex Judaeis oriundo, id quod et stili et rerum et consilii ratio abunde docet, in eum sunt finem ut popularibus suis de Christo Jesu persuaderet testimonio gravissimo Judaeorum in auctoritate constitutorum, eorum qui rebus ipsis interfuissent ipsoque rerum

eventu, quum ante acerrimi adversarii exstitissent, ad fidem perculsi essent. Quod is ita fecit ut, patefacta accusationis fraude et damnationis injustitia, CHRISTUM comitantibus portentis mortuum, tertio die ex mortuis mirabiliter in vitam reversum, denique vivum in coelos assumtum narraret. Narrationem vero suam ita contexuit ut multa canonicis evangeliis, MATTHAEI maxime, tradita non tam repeteret quam fundamenti loco ad opus suum adhiberet. Quos praeterea fontes adierit etsi non liquet, tamen quin multa ex fama fideliter ore propagata et potuerit discere et adhibere debuerit, ne hominibus ab aetate CHRISTI non ita longe remotis fraudem potius quam historiam tradere videretur, eo minus dubito quo majorem libri eventum testatum habemus.

Fuerunt etiam qui de lingua dissentirent qua auctor actorum PILATI usus esset. Aliis enim hebraicum, aliis latinum, aliis graecum placuit archetypum. Atque iis quidem quibus hebraice auctor scripsisse visus est, nescio an fucum fecerit assertio prologi. Ea vero non plus auctoritatis habet quam tot alii libri apocryphi qui, ut historia JOSEPHI lignarii, ut Pseudo-MATTHAEI evangelium, ut ABDIAE historiae apostolicae, majorem quippe fidei speciem affectantes, ex hebraico se translatos profitentur. Quae enimvero passim hebraici potius quam graeci sermonis indolem redolent, ea prorsus quadrant in hominem hebraeum graece scribentem; nec vero

quidquam hebraicum postulat archetypum. Ceterum hebraici exemplaris nullum unquam vestigium repertum est; neque auctorem prologi hebraicum archetypum ficturum fuisse arbitror si ejusmodi aliquid revera vulgatum nosset.

Alii rursus latine librum scriptum esse suspicantur. Quod quum nulli veterum visum est, quamquam ipsum PILATUM latino potius quam alio sermone in actis suis usum scire debebant; tum cum ipso latino textu pugnat, in quo pariter atque in graeco prologus graecam ex hebraicis interpretationem profitetur. In iis vero quibus latinus textus a graeco discedit, sive plura is sive pauciora habet, mihi quidem nusquam praestare illi videtur. Rursus latina saepe, graeca nusquam interpretem sapiunt. Neque graecum interpretem verba latinitatis propria, ut σίγνα, κουῤῥσωρ etc. fideliter retenturum sed quantum posset graece redditurum fuisse arbitror.

Graecum igitur auctorem quid suadeat quaeritur. Primum suadet universa graeci textus ratio, in quo magna est cum evangeliis canonicis affinitas. Accedit quod hebraicum archetypum in fictione positum esse tantum non certum est; latinum vero archetypum non habet quo commendetur. Quam vero consentaneus graecus sermo libro ipsis potissimum Judaeis destinato fuerit, quum totum Novum Testamentum (93),

(93) Perperam opposuerit aliquis hebraicum quod jactant archetypum evangelii secundum MATTHAEUM. Hoc ipsum enim evangelium

tum tot alii scriptores oriundi ex Judaeis et tamen graece scribentes probant.

Quam de actis Pilati quaestionem antequam mittamus, quaerendum est quo tempore eam subierint interpolationem, cui cum universa quadam retractatione etiam prologus debetur. Non ita multo posterior ea aetate esse videtur qua archetypum hebraicum repertum et in graecum translatum in ipso prologo fingitur. Alioquin nulla caussa est cur hoc potissimum sit tempus positum. In numerorum vero qui aetatem significant varietate atque ambiguitate hoc tenendum puto, quod decimo septimo Theodosii II anno, quem textus et graecus et coptus refert, latino fere non dissentiente, Valentinianum III in societatem regni adscitum historici tradunt. Hinc brevi post annum Christi 424 retractatio illa locum habuisse videtur.

Reliquum est ut de altera evangelii Nicodemi parte quaeramus. Hanc in eo versari ut tradat filiorum Symeonis testimonia de Christi rebus apud inferos gestis, jam significatum est supra; item laxissimo eam cum actis Pilati vinculo cohaerere. Cohaeret tamen ita ut testimonium quod in his est de Christo ex mortuis ad vivos reverso non tantum confirmet sed etiam compleat. Quod duobus modis fit, quum quod Christum

---

quod, quum Judaeis maxime destinatum esset, a primis inde temporibus ubique graece divulgatum est, hebraico exemplari nullo superstite neque ulli scriptorum veterum viso, ne Hieronymo quidem ut videtur excepto.

non solum ipsum in vitam rediisse verum etiam alios secum in vitam revocasse docet, tum quod illum statim postquam animam in cruce edidisset, mirabilia apud inferos gessisse narrat. Quod utrumque quum Judaeorum christologiae, quae circa Jesu aetatem erat, prorsus conveniens sit(94), et resurrectionem justorum primam et Messiae descensum ad inferos docenti, facile intelligitur consilium auctoris libelli non ita diversum ab actis Pilati fuisse. Et his enim rebus Christum satisfecisse Judaeorum de Messia suo exspectationi populares suos docebat. Quod quantopere in ipsam aetatem apostolicam quadret, ne extra sacrorum librorum terminos egrediamur, probatur locis Matth. XXVII: 52 sq. Eph. IV: 8 sq. 1 Petr. III: 18 sq.; quorum, addito Lucae loco XXIII: 43, haec tota filiorum Symeonis historia luculentissimum commentarium exhibet.

Quaerenti vero quando et a quonam libellus iste scriptus sit, conjecturarum campus latissime patet. Sermonem si spectas, mea quidem sententia nihil est quod originem actis Pilati aut evangelio Jacobi posteriorem probet (95). Idearum vero ratio ea est ut, si qua non ipsi aetati

(94) Cf. Bertholdt: *Christologia Judaeorum* Jesu *apostolorumque aetate* etc. § 34 et 35.

(95) Frustra est quod Thilo p. 736 ex vocibus *ἀρχιδιάβολος* et *ἀρχισατράπης Σατᾶν* ad recentiorem textus aetatem concludit. Ut enim serioribus Graecis ejusmodi locutiones a fide Nicaena abhorrere recte visae sint, a tam audaci fabulatore non abhorrebant. Optime vero quadrant in diaboli personam qualis ab eo per totam fabulam descripta est.

apostolicae convenire judicanda sunt, certe nulla homini ab ea proximo, medii fere saeculi secundi, aliena inveniuntur (96). Quod hoc loco non sic probandum videtur ut singula diligenter percensentes cum antiquorum scriptorum locis similibus vel geminis componamus. Jam enimvero egregie doctissimus Thilo probavit notis textui subjunctis, in quibus similia quaerentes modo ad antiqua delegat Hebraeorum apocrypha, ut ad *parvam Genesin* pag. 685; *ad Testam. XII patriarcharum* pp. 689, 793; *ad Mosis ascensionem* p. 691; modo ad Rabbinorum Jesu fere aequalium commenta, cf. pp. 690, 726, 756, 761, 777, 781; modo ad LXX interpretes, cf. p. 756; modo ad vetustissima christianarum litterarum monumenta, sive haeretica ut p. 688 (Ophitarum), p. 680 (Megethii Marcionitae), p. 704 (Marcionis aliorumque), p. 751 (Valentinianorum), p. 781 (Thaddaei apostoli apocryphum apud Eusebium), sive catholica ut ad *Pastorem* Hermae p. 697; ad *homilias Clementinas* p. 688; ad *Seniorum fragmenta* apud Irenaeum pp. 749, 754; ad Justinum Martyrem p. 684, 761; ad Theophilum Antiochenum p. 692; ad Irenaeum p. 734; ad Ori-

---

(96) Quod in graecum valet textum, non item in latinum. Is enim passim ejusmodi additamenta habet quae seriorem interpolatorem prodant. Cf. pag. 724: »illos qui originali peccato adstricti tenentur." Item Thilo observat p. 738 in latino libelli textu statum omnium etiam piorum apud inferos ita fere describi ut non multum differre videatur ab eorum conditione quos in purgatorio poenas dare ecclesia Romana etiamnum credit.

GENEM p. 680; ad HIPPOLYTUM pp. 692, 765. Ex ipso vero libello nostro prae ceteris hauserunt, quamquam nulla auctoris mentione facta, EUSEBIUS ALEXANDRINUS (97) et Pseudo-EPIPHANIUS in *oratione in sepulcrum Christi.* Neque vero ante hos desunt quibus ad fabulam nostram alludatur; quemadmodum CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS de Antichristo explicans, quum se non ex apocryphis sed ex DANIELE hausisse dicit, de hoc ipso libello similibusque cogitasse videtur (98). Praeterea in aestimanda libri antiquitate illud aliquid momenti habet quod verba latronis de cruce pendentis p. 772 ita discedunt a LUCAE textu ut ex alia veterrima traditione fluxisse videantur; quod item nescio an in responsum CHRISTI l. l. quadret (99).

Quae omnia conjuncta ejusmodi sunt ut libellum nostrum ex antiquissimo scripto apocrypho secundi saeculi haustum vel transscriptum putem. Quod quo nomine apud antiquos innotuerit, difficile dictu est. Non inepta quidem conjectura eorum est qui ex *Praedicatione* Pseudo-PETRI (*κήρυγμα Πέτρου*) petitum censebant; PETRI enim auctoritas, quippe eundem CHRISTI de-

---

(97) Cf. THILO: *Ueber die Schriften des* EUSEB. *von Alex. und des* EUSEB. *von Emisa. Ein kritisches Sendschreiben an* AUGUSTI. 1832.

(98) Cf. CYRILL. HIER. *Catech.* XV. p. 213. ed. Oxon. Vide THILO p. 768.

(99) Eodem loco nescio an JOHANNIS BAPTISTAE verba ponam p. 682: *ἵνα ὅστις πιστεύσει πρὸς αὐτόν* etc. quae si ex (Pseudo-)MARCO XVI: 16 petita essent, baptismi mentionem utpote BAPTISTAE personae aptissimam non omisissent.

scensum in epistola testati (1 Petr. III: 18 sqq.), maxime idonea videri poterat quae tali commento fidem faceret. Tamen quae illius praedicationis fragmenta a veteribus laudantur conjecturam istam parum sustentant. Neque si ex libro tam celebri Eusebius Alexandrinus hausisset, tot aliena verba exscripturum aut fontem silentio praeteriturum fuisse credo. Hinc potius in eis videtur scriptis fuisse quae in paucorum hominum notitiam atque usum pervenirent, qualia multa ab auctoribus clari nominis profecta dudum periisse scimus. Quae sententia confirmatur quum conditione textus, quem testes omnes locis plurimis tantum non consentientem praebent, tum eo quod in nullo invenitur codice nisi cum priore evangelii Nicodemi parte conjunctum.

Scripsisse vero librum puto hominem christianum ex Judaeis ortum (100), lingua usum graeca (101), bonae illum quidem fidei, sed theologia Judaica non mediocriter imbutum neque ignarum idearum gnosticarum. Gnostici enim quantopere delectati sint angelorum et bonorum et malorum excolendis partibus, item et coelorum et inferorum imaginibus, quanti iidem et

(100) Hinc nec ad alios nisi Veteris Testamenti pios salutarem Christi apud inferos adventum pertinere facit. Aliter Marcion.

(101) Haud raro latinum textum ab interpolatoribus depravatum esse jam significavimus. Sed neque missis iis quae seriorem manum manifesto produnt, dubitari potest utrum graece an latine auctor scripserit.

Christi et Christianorum fecerint baptismum, quo quidem Valentinianis homines in salutem regenerari visi sunt, satis constat. Inprimis vero comparandae sunt Ophitarum opiniones de ligno vitae, cujus balsamo animam in baptismo ungi dixerunt, de anima portas regni Jaldabaothi signo vitae (cruce?) aperiente, item aliae similes. Constat etiam ipsum descensum Christi ad inferos a Gnosticis, ut a Marcione, receptum atque excultum esse.

PARS II.

DE EVANGELIORUM APOCRYPHORUM USU.

§. 1.

Evangelia apocrypha, per longum tempus paucorum hominum studiis culta, nostra potissimum aetate in litterarum lucem revocari coepta sunt. Quae quum antehac saepe ab iis potissimum quaesita sunt, quorum ineptae credendi cupiditati canonicorum simplicitas ac temperantia non satisfaceret, tum hodie apocryphis delectantur maxime ii qui canonicorum fidem vel impugnant vel negant. Quippe enim ab illis non minimam vim petunt ipsa ea improbandi quae scriptis traduntur canonicis. Inde rursus apud alios magna exorta est eorundem scriptorum contemtio, quorum nugas ac fabulas ad sacra historiae evangelicae documenta adhibere nefas esse ducunt. Inter utrosque qui medium quiddam teneant, boni consulturi dummodo boni aliquid ab examine diligenti referre queant, pauci inveniuntur; contra alii multi, a severo

illi quidem studio pariter alieni atque a sincera fide, spretis canonicis apocrypha appetentes, non sunt putandi nisi vanam curiositatem sequi.

Quae quum ita sint, inprimis ex re est et docte et religiose quaestionem instituere de vera evangeliorum apocryphorum auctoritate et recto usu. Qua duplici quaestione luculenter tractata, quum aliorum petulantes refellere conjecturas, tum suspiciosam aliorum repugnantiam vincere facile erit. Quod negotium erunt qui propterea spernant aut nullius momenti ducant, quod apocrypha pleraque dudum publico anathemate perculsa atque ab ecclesiae usu remota sunt. Sed cum vi damnare facilius est quam idoneis convincere argumentis; abhorretque a nostri maxime ingenio temporis, ubi argumentorum pondus quaeras, temere auctoritatem sequi. Quum igitur illud quidem quod est de auctoritate evangeliorum apocryphorum, jamjam de auctoribus et tempore deque fontibus atque consilio eorum disputantes absolvisse nobis videamur, aggredienda est altera quaestionis pars quae de horum evangeliorum usu agit. Cujus ad priorem haec est ratio ut, quum illa fontes unde omnis scriptorum apocryphorum auctoritas orietur indagaverit, haec ea tractet quae ab auctoritate nascantur. Usu vero recte exponendo luculenter apparebit quantum his scriptis, quamvis laude authentiae negata, tribuendum sit pretii. Qua in re sic progrediemur ut evangelia apocrypha primum per se spectemus, alterum

cum altero conferentes; deinde cum canonicis evangeliis ratione critica et exegetica componamus; denique quaeramus quam vim ad illustrandam ipsam Jesu Christi vitam habere videantur.

§. 2.

Primum igitur quaeritur, evangeliis apocryphis per se spectatis atque invicem collatis quidnam pretii usu comprobandum statuamus.

Huc ante omnia facit ratio ea quae inter ipsa singula intercedit, ut antiquiora et recentiora, ut quae suo ingenio stent et quae ab his derivata sint distinguamus. Quae quum jam supra, ubi de origine evangeliorum apocryphorum dicebamus, debuerit tangi, hoc loco nobis ab iis quae ibi dicta sunt proficiscendum est. Vidimus igitur omnium quae supersunt antiquissima esse evangelium Jacobi, evangelium Thomae, acta Pilati et descensum Christi ad inferos (1); quae quatuor ad secundum saeculum idque fere medium referenda esse, idoneis argumentis effectum est. Rursus in his acta Pilati aetatem Justini aliquot lustris antecedere putanda sunt, nisi quod antiquissimus textus in mira testium varietate latet. Minor his et tamen magna textus ambiguitas conspicua est in evangelio Jacobi. Evangelii vero Thomae utilitas imminuitur eo quod non supersunt nisi fragmenta, quae ipsa rursus testes pauci satis diversa exhibent. De-

(1) His nominibus uti praestat quam evangelii Nicodemi nomine.

scensus CHRISTI ad inferos excellit bonitate textus; iidem enim codices qui priorem evangelii NICODEMI partem cum magna dissensione tradunt, in altera tantum non consentiunt. Haec quatuor scripta a diversis profecta auctoribus sunt, nec a se invicem pendent; quod documento esse potest ejusdem fere aetatis esse.

In ceteris aetate priora sunt historia JOSEPHI, arabice edita, primum coptice ut videtur composita, quae circa initium saeculi quinti prodiit, et evangelium Pseudo-MATTHAEI de nativitate MARIAE brevi ut videtur post HIERONYMI tempora conscriptum. JOSEPHI historia, si exceperis pauca quae ex evangelio JACOBI fluxerunt, propria conspicuum est indole ac suum sibi in his monumentis locum vindicat. Pseudo-MATTHAEUS vero inprimis a Protevangelio pendet.

His duobus paullo inferiorem aetatem, ut nunc est, evangelium infantiae arabicum prae se fert, petitum e textu probabiliter syro, quem ipsum haeresi Nestorianorum non ita multo posteriorem puto. Magnam id quidem partem ex JACOBI et THOMAE evangeliis fluxit.

Denique in recentiora tempora ac fere CAROLI MAGNI evangelium latinum de nativitate MARIAE et infantia Salvatoris incidit, non modo evangelio JACOBI nixum, fortasse dudum ante in latinum libere translato, sed etiam arabicis ut videtur fabulis usum.

Praeterea etiam illud jam indicatum est quinam de his Pseudevangelistis potissimum ex

evangeliis hauserint canonicis. Id maxime in eos valet quibus debentur priora quatuor; post haec ponendus Pseudo-MATTHAEUS. Nimirum ceteri rivulos quam fontes adire malebant.

Antiquitatis igitur laus quo in aliquo horum scriptorum major est, eo plus commendationis ac pretii affert.

§. 3.

Sed pretium non ex sola antiquitate pensandum est. Porro enim a proprietate pendet dogmatica, quae in eo conspicua est quod unum prae altero suae aetatis suorumque aequalium sive catholicorum sive haereticorum, suorum etiam popularium fideliter refert ingenium. Itaque inprimis ad illustrandam historiam dogmatum faciunt; quae res eo est gravior quod homines secundi maxime saeculi paucissima fidei suae, doctrinae, vitae monumenta litteris consignata posteris reliquerunt.

Sed plura quae huc pertinent jam vidimus quum quo consilio auctores apocryphorum evangeliorum scripsissent et quibus se ipsos modis proderent, explicandum erat. A catholicis enim auctoribus profecta esse probavimus acta PILATI et recentiorum temporum utrumque latinum, arabicorum vero alterum a Nestoriano Syro, alterum a Copto Monophysita. Porro a Gnosticorum rationibus haud aliena esse vidimus evangelia JACOBI et THOMAE, item descensum CHRISTI ad inferos. Quod accuratius definitum est ita ut

Jacobi evangelium Ebionitae gnostico deberi, evangelium Thomae eorum qui Marcosiorum nomen habent vestigiis insistere, descensum Christi ad inferos Christianum ex Judaeis oriundum, notionibus gnosticis et satis imbutum et egregie usum, prodere diceremus.

His omnibus et singulis quaenam potissimum dogmata illustrentur, breviter dicamus. Inveniuntur in omnibus quae locum spectent de persona deque rebus et fatis Christi. Inter ea quae de persona Christi praecipiuntur, quaestiones tanguntur de corpore Christi, de duabus ejus naturis, de parentibus Maria et Joseph, de fratribus ejus. Atque eam quidem quae est de corpore Christi, fueritne verum an putativum, commune an aetherium, spectant evangelium Jacobi, in quo quae putativo corpori faverent, quae obstarent, supra explicitum est, et evangelium Thomae, quod Gnosticorum de hac re sententiam sustentat, praetereaque si quid ejusmodi ex his in latina et arabica evangelia transiit, quamvis obscurata vel neglecta vi, quae primum inerat, dogmatica. Ad doctrinam de duabus Christi naturis nescio an nihil pertineat praeter duplicem denominationem Domini Christi et Domini Jesu, in evangelio infantiae arabico ex Nestorianorum placitis constanter et accurate positam. Divina vero ejus natura qualis fuerit dum in his terris vivebat, in evangelio Thomae, si Sinaiticum textum sequimur, speciose descriptum est. Se enim puer πρὸ τῶν αἰώνων esse di-

cit, scientem praeteritorum ac futurorum. Circa matrem vero Jesu, quae, quo magis divinitas Christi agnita, quo definitius declarata, quo uberius descripta est, eo majore digna videbatur cultu, inprimis versatur evangelium Jacobi cum iis quae inde tantopere pendent, Pseudo-Matthaei evangelio atque evangelio de nativitate Mariae et infantia Salvatoris, item Josephi historia. In his summa castitas ac perpetua virginitas Mariae usque adeo tradita est ut quae post de Maria mirabiliter concepta ac tandem divinitus in coelum assumta doctoribus pietatis Romanae studiosis placuerunt, facili negotio inde derivari potuerint. Porro Josephi persona, postquam per Pseudo-Jacobum eosque qui hunc secuti sunt caute abalienata erat a matrimonio Mariae, ne quid aut Christi aut matris virginis dignitas detrimenti caperet, ab historiographo Arabe vel potius Copto in aliquam gloriae filii communionem perducta est; quam ad rem nescio an Monophysitarum dogma aliquid valuerit. Denique fratres Jesu quales dicti sint, quum totum illud de Josephi senis et Mariae virginis conjugio non vero commentum significat, tum diserte indicatum est cap. 9. evangelii Jacobi, unde in latinum evangelium de nativitate Mariae et infantia Salvatoris transiit, — quemadmodum etiam in evangelio Thomae et infantiae arabico Jacobus Josephi filius commemoratur — accuratissime vero ipsis nominibus allatis additisque duabus sororibus definitum est in Josephi historia capp. 2 et 11.

Ad res sive facta CHRISTI tum ea pertinent quae evangelia apocrypha de miraculis pueri referunt, tum expositio rerum apud inferos gestarum. Illorum quidem naturam in ipsis evangeliis infantiae pro animo quo perpetrantur non ubique eandem esse, jam supra animadversum est; quantopere tota diversa sint a canonicis, infra docebimus. Descensus autem CHRISTI ad inferos, sive ipsum CHRISTUM spectas rationemque descensus, sive inferos, sive Satanam cum Hade, sive bonos angelos, sive sanctos Veteris Testamenti viros, sive ADAMUM, sive paradisum, sive tartarum, totum dogma de hac exinanitionis aut potius exaltationis parte complectitur sic ut nihil innotuerit quod simile de eodem dogmate tantae antiquitatis testimonium referret.

Praeter facta de fatis CHRISTI videndum. Huc faciunt cum traditiones de ejus ortu deque infantis fuga in Aegyptum ac reditu in patriam, in quibus maxime versantur evangelium de nativitate MARIAE et infantia Salvatoris atque evangelium infantiae arabicum cum reliquis ejusdem fere argumenti, tum rerum ultimarum descriptio ab accusatione Judaeorum coram PILATO usque assumtionem redivivi in coelum, in quibus tota esse acta PILATI constat.

Porro plura inveniuntur quae ad asceticas rationes Christianorum veterum illustrandas pertinent; quemadmodum in iis quae de educatione MARIAE in templo deque perpetua ejus castitate, de ortu CHRISTI praeter parturientium mo-

rem, de Maria filia et ipsa praeter humanum modum parentibus donata, item in toto illo de specie corporis quam Christus gesserit commento Gnosticum illud de materie matre peccati satis conspicuum est.

Denique passim et maxime quidem in historia filiorum Symeonis tanguntur dogmata haec:

de mundo, qui quot annos duraturus esset usque Messiae adventum, angelus Domini Setho praedixisse fingitur, cf. Thil. *Cod. apocr.* cap. 19. p. 692;

de peccato, certe secundum latinum textum capitis 22, ubi de adstrictis originali peccato proptereaque in captivitatem infernalem dejectis sermo est, cf. p. 724. in notis;

de redemtione hominum ex diaboli mortisque potestate, cf. p. 704. in notis;

de baptismo; quoniam in eo quod resuscitati Symeonis filii cum aliis sanctis in Jordane flumine baptizari jubentur latet dogma de baptismo omnibus ipsisque mortuis necessario, cf. cap. 27. p. 782; item huc spectat unctio ad baptismum adhibita, quae cap. 19 iis innuitur quae circa Adamum per Messiam ex miserie unctionis ac baptismi ope restituendum in beatam vitam leguntur;

de animarum post mortem statu. Huc enim spectant quae de inferno universo dicuntur; de animabus (ut cap. 19. p. 689. in latino textu Michael in universum super humanum corpus [?] constitutus dicitur) maximeque justis (cap.

25. p. 748. item *hist.* Joseph. capp. 22. 23.) Michaeli archangelo tradendis; de salute mortuorum per Christum recuperanda, quae an universis an solis sanctis destinata sit ambigitur, cf. cap. 23. p. 732; de carcere animarum in ima et summa distincto, ut est cap. 23. in latino Fabricii textu, cf. apud Thilonem p. 733; de hade et paradiso, cf. cap. 25;

de resurrectione mortuorum, inprimis ea quae ex veteri Judaeorum exspectatione Messiana dicitur prima sanctorum. Huc quum universa ista filiorum Symeonis historia pertinet, tum ea quae de Adamo, patriarchis, prophetis sanctisque aliis ut Johanne Baptista per Christum vita aeterna imbutis narrantur;

de regno millenario, ad quod spectant quae de Satana vinciendo usque ad alterum gloriosum Christi adventum cap. 22. p. 726, item de adversariis Antichristi Enocho et Elia cap. 25. p. 760. docentur; quemadmodum etiam *hist.* Joseph. cap. 26. convivii mille annorum mentio fit;

de angelis bonis et malis, de quibus passim jam vidimus, maxime de Satana et Hade, ad quos inprimis capp. 21 sqq. faciunt, item *hist.* Joseph. caput 8. In his eminet quae Satanae pars fuisse dicitur in Christo morti crucique tradendo capite 20. Ordines angelorum innuuntur *hist.* Jos. cap. 22. De officio eorum offerendarum Deo precum et eleemosynarum agit Pseudo-Matth. *evang.* cap. 4. (ad quod vide Thil. p. 324.)

Harum vero opinionum difficile dictu est quas auctores apocryphorum primi in medium protulerint, quas ex aequalium suorum usu receperint atque excoluerint; quamquam, in quo tanta dogmaticarum rationum ubertas est, descensum CHRISTI ad inferos ex Judaeorum potissimum christologia profluxisse, ut jam supra innuimus, satis demonstrari potest.

§. 4.

Pro tanta vero apocryphorum evangeliorum propagatione, quam a primis inde temporibus per longam saeculorum seriem testatam habemus, eaque quae a tam frequenti usu proficisci debebat auctoritate (2), dubium non est quin traditiones multae, vel scriptis vel ore populi vel artibus vel ritibus propagatae, quae ut alienae sunt a libris canonicis ita cum apocryphis conveniunt, ipsam ab his originem vel certe auctoritatem duxerint. Hinc egregia eorum virtus in eo cernitur quod multum luminis afferunt historiae traditionum. Quae res, quum satis

(2) Propagatio evangeliorum apocryphorum, inprimis Protevangelii et Actorum PILATI, quanta, quam mira, quam incredibilis a longo inde tempore per totum Christianum orbem fuerit, satis jam probavit THILO in doctis *Prolegomenis Codicis apocryphi.* Praeterea persuasum habeo iteratis studiis ex orientalibus maxime terris, ut ex Aethiopia, Aegypto, Arabia, Syria, multo plura ad nos allatum iri monumenta manu scripta, quae frequentissimum horum apocryphorum librorum apud populos orientales usum testentur.

ad augendum evangeliorum apocryphorum pretium faciat eorumque usum historicum non mediocriter commendet, aliquot probanda est exemplis. Quod ita faciemus ut primum quatuor illos traditionum modos cum indicatione fontium persequamur, tum singulos libros pro parte quam quisque in hac re habeat percenseamus.

Primum igitur de traditionibus videndum est quae apud scriptores ecclesiasticos celebrantur (3).

Quod Maria a matre Anna, antequam concepta esset, Deo devota dicitur *Protevang.* 4. *Evang. de nativ.* Mar. *et inf. Salv.* 2. (*Pseudo-*Matth. *evang.* 1. parens uterque voto se obstringit), id repetunt Gregor. Nyss. in diem nat. Christi *Opp.* III. p. 346. Niceph. *hist. eccles.* I, 7.

Joachimum secessisse in desertum et antequam domum reverteretur ab angelo promissionem prolis accepisse, *Protevang.* tradit capp. 1. 4. Hinc apud Epiph. *haeres.* LXXIX, 5. est, apparuisse Joachimo angelum in deserto. Paullum differt Pseud-Epiphan. *in laudib.* Mariae *Opp.* II. p. 292; habet enim in monte precatum esse Joachimum. Sed id rursus ex *Protevang.* 4. (κατάβηθι ἐντεῦθεν) derivatum est, quocum prorsus conve-

(3) De posterioris aevi scriptoribus, qui apocryphis traditionibus fidem tribuebant, ante alios omnes nominandus est Nicephorus historicus. Is enim quum *hist. eccles.* tom. 1. cap. VII. id agat ut de Mariae parentibus, nativitate, educatione, desponsatione exponat, maximam partem ea sequitur quae in Protevangelio leguntur. Quae nolo singula exscribere.

nit *Evang. de nat.* MAR. *et inf. Salv.* cap. 3: »inter montes."

JOACHIMUM non modo tanquam pastorem divitem depingit NICET. PAPHLAGO *orat. encom.* XIV. (*Bibl. Max.* XXVII. p. 423), sed JOH. DAMASC. *de orth. fid.* refert etiam MARIAM in aedibus pecuariis JOACHIMI natam esse. Quod a *Protevang.* 4. et *Evang. de nat.* MAR. *et inf. Salv.* 3. pendere in promptu est.

Historia MARIAE trimulae ad templum adductae atque ibidem educatae, cf. *Protevang.* 7. 8. *Pseudo*-MATTH. *evang.* 3. sqq. *Hist.* Jos. 3. *Evang. de nat.* MAR. *etc.* 4, saepissime repetita est, ut apud GREG. NAZ. *in Chr. patient.* v. 1356 sq., apud GREG. NYSS. *homil. in diem nat. Chr.*, apud ANDREAM CRET., a Pseudo-EVODIO apud NICEPHORUM aliisque quos enumerat THILO p. 349. Quid quod EPIPHANIUS *ancor.* 60. id ex antiquo more Judaico consecrandi Deo primogenitos tam mares quam feminas factum esse suadet.

MARIA ab angelo nutrita in templo ex *Protevang.* 8. et locis parallelis transiit ad GREGOR. NAZ. *Christ. patient.* v. 1354., CEDRENUM aliosque.

A MARIA primum salutationem: »Deo gratias" adhibitam esse, ut est in *Pseudo*-MATTH. 6. extr., ita repetitur in *regula* S. BENEDICT. cap. 66.

MARIAM annos habuisse 14 quum JOSEPHO traderetur — quamquam *Protevang.* 8. tum temporis duodecennis fuisse dicitur, quod fideliter repetit EUSTATHIUS, — ut *Pseudo*-MATTH. *evang.* 7, *Evang. de nat.* MAR. etc. 8. habent, ita tuentur EVODIUS

apud NICEPH. II, 3. HIPPOLYT. THEB. in *Chron. ap.* FABRIC. I, 47. MICH. GLYCAS aliique. Praeterea ea opinio in vulgus transiit, ut testatur BARONIUS.

MARIAM JOSEPHO in custodiam, non in matrimonium traditam esse, quod praeivit *Protevang.* 9 (bis), repetierunt GREG. NYSS., EPIPHAN., HIERONYMUS aliique multi.

Ad sortes circa MARIAM mittendas convocatos esse τοὺς χηρεύοντας τοῦ λαοῦ, ut *Protevang.* 8. habet, sive »nuptui habiles non conjugatos", eos qui »sine uxore" erant, ut *Pseudo*-MATTH. 7. et *Evang. de nat.* MAR. etc. 8. correxerunt, utramque lectionem conjungens repetit EPIPHAN. *ancor.* 60: χήρους καὶ ἀγάμους.

Quae de raris virtutibus MARIAE virginis in templo versantis narrat *Evang. de nativ.* MAR. 6., ea sequi videtur MARC. ANTON. SABELLIC. *Exempl.* II, 4 et 9. III, 4.

ELIAM et ABELEM ut *Evang. de nat.* MAR. 7. virgines nuncupat, ita pariter alter nuncupatur apud SUIDAM sub voce Ἰησοῦς, alter apud EPIPHANIUM *haeres.* LXXIX. 5.

MARIAM ab angelo divinum de CHRISTO nuntium afferente salutatam esse quum iret ad fontem aquarum, quemadmodum narrat *Protevang.* II. *Evangel. de nativ.* MAR. etc. 9, ita etiam apud PHOCAM in συμμικτ. ALLATII p. 11. legitur.

Quod speluncam fuisse in qua CHRISTUS nasceretur narrat *Protevang.* 18. sqq. (item *Pseudo*-MATTH. *evang.* 13. *Hist.* JOS. 7. *Ev. infant.* arab. 2),

id — ut jam vidimus — transiisse videtur ex *Pseudo*-Jacobo in Justinum Mart. c. Tryph. cap. 78, Origenem c. Cels. I, 51, Eusebium *dem. evang.* VII, 2 aliosque plurimos.

Mariam et concepisse et partum edidisse salva virginitate, ut Cyprianus, Augustinus aliique docent, ita Anastas. Sinait. in *sermone de annunt.* Mar. his verbis significat: ἀσυνδυάστως ἐκυοφόρησεν, ἀσυμφεύτως ἀπέτεκεν: quod a Protevangelio pendere in promtu est. Item historiam de obstetrice ibidem traditam 19. 20. repetunt Zeno Veron. *Serm.* II. *de nativ.* Dom. et Epiph. monach. in *vita* Mariae.

Senectus Josephi sponsi Mariae in *Protevang.* 9. *Pseudo*-Matth. *evang.* 8. aliisque cum insigni gravitate tradita, praedicatur etiam apud Epiph. *haeres.* LI, 10 et *ancor.* LXXVIII, 8. ipsis annis quos habebat indicatis, qua in re non multum differt ab *Hist.* Jos. 1. Nec magis idem ab hac dissentire videtur de anno mortis Josephi, *haeres.* LXXVIII.

Quae narrantur de filiis Josephi ex priore conjugio *Protevang.* 9. 17. *Pseudo*-Matth. *Evang.* 8. *Evang. infant.* arab. 35. 43. *Hist.* Jos. 2, ea in multorum patrum opera transierunt, ut Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini. Cf. Thilo p. 362.

Quod Epiphanius *haeres.* XXIX, 4. de Jacobo sacerdote Josephi filio habet (vide Thilo p. 375), id ab eadem traditione esse videtur quae *Hist.* Jos. 2. (»Joseph sacerdos factus") legitur.

Quae de summi Aegyptiorum idoli ruina et

de universorum idolorum in Aegypto confractione adventante Jesu puero *Evang. infant.* arab. 10. 11. et *Evang. de nativ.* Mar. 23 narrantur, eadem praesertim quum Jesaiae (XIX, 1.) et Jeremiae (XLIII, 12. 13.) vaticinia complere viderentur, celebrarunt praeter alios multos Origenes, Eusebius, Athanasius, Sozomenus. Cf. Thilo p. 399 et Schwarze *comm. de evang. inf.* pag. 9 sq.

Huc adde duos Eliae III patriarchae Antiocheni locos arabice scriptos, quorum altero in *homil. in nativitatem Christi* ex *Evang. inf.* arab. 4. repetit pastores succendisse ignem quum eis apparerent coelestes exercitus; altero vero taenias infantis a Maria matre datas magis ex eodem *Evang.* 8. tangit.

Quae omnia circa parentes Jesu ipsumque Jesum puerum versantur. Unde quum haud pauca ad Mohammedem aliosque auctores Arabes transierint, de his quoque statim aliquid exemplorum repetendum est (4).

In Corano quidem prae ceteris ad apocryphas traditiones Christianorum respicit cap. III, v. 35—46. (apud Hinckelmann). *Ibi* alluditur ad *Protevang.* 4. etc. eo quod mater Mariae id quod paritura est, Deo devovet. *Ibidem* ciborum quos Maria in templo de manu angeli accepit *Prot-*

(4) In his quae de arabicis fontibus attuli, praeterquam quod Coranum ipse evolvi, plerumque cum Thilone secutus sum Henricum Sikium, qui in editione sua evangelii infantiae arabici (Traj. ad Rhen. 1697.) notandis similibus Mohammedanorum traditionibus magnam operam impendit.

evang. 8. etc. mentio fit. *Ibidem* divina vox MOHAMMEDEM alloquitur: Non aderas quum projicerent virgas suas, quaerentes cui MARIA in custodiam tradenda esset. Quae clarum est spectare *Protevang.* 8. et locos parallelos. *Ibidem* angeli MARIAE nuntium de CHRISTO ex ipsa nasciturо afferentes praedicunt in cunis eum allocuturum esse homines. Quod pendet ab *Evang. inf.* arab. 1, ubi JESUS in cunis matrem alloquitur: »Ego sum JESUS filius Dei" etc. *Ibidem* fabula de duodecim passeribus e luto fictis, cf. *Evang.* THOM. 2. *Evang. inf.* 36., his JESU verbis ad filios Israelis tangitur: »Affero ad vos signum a Domino vestro; creabo vobis ex luto quasi figuram avis et inspirabo illi halitum, ut evadat avis per permissione Dei." De ipso MARIAE partu Coranus paullulum differt a Protevangelio, quum illam ad truncum palmae parturientem statimque recens natum ei dicentem facit: Concute versus te truncum palmae ut recentes et maturi dactyli ad te decidant etc. Sed videntur haec per confusionem ex *Evang. de nativ.* MAR. desumta esse, cujus cap. 20. sic habet (5): Factum est autem — ut beata MARIA nimium calore solis fatigaretur in eremo, et videns arborem palmae dixit ad JOSEPH: Quiescam paululum sub umbra arboris hujus. JOSEPH itaque festinans duxit eam ad palmam. — Tunc infantulus laeto vultu JESUS in sinu matris suae ait ad palmam: Flecte

(5) Sequor in his textum meum manuscriptum Vaticanum.

palmam arbor et de fructu tuo refice matrem meam etc. Exemplum unum addam de *Coran.* cap. V, 110. Ibi verba infidelium de Jesu referuntur haec: Non est iste nisi veneficus manifestus (alii »fascinum manifestum"). Ea fluxisse ex *Evang. inf. arab.* 35. credibile est, ubi Jesus puer a nonnullis pro venefico habetur.

Quibus Corani locis aliquot subjungam exempla ex Kessaeo celebri Corani commentatore et Abulfaragio petita; quorum ille quidem ipso Corani auctore etiam studiosior est exscribendarum de Maria et Jesu puero fabularum. Praeter multa enim quae de Mariae parentibus, educatione et juventute habet, refert etiam de mirabili pueri acumine tradito magistro scholae (*Evang. inf. arab.* 48), porro Christum facit in ipso utero matrem alloquentem (cf. ibidem 1.), narrat Zachariae quoque Herodem insidias struxisse (cf. *Protevang.* 23, a quo dissentit eo quod Zachariam insidias feliciter effugisse tradit), *item* leonem inter viam puero paruisse (*Evang. de nativ.* Mar. 19), *item* eum incidisse in latrones in spelunca (*Evang. inf.* arab. 13, a quo fabula Kessaei certe profecta videtur), *item* Mariam nendo sibi victum comparasse (quod nonnihil a *Protevang.* 10 pendet). Praeterea memoratu dignum est, apud Kessaeum aliquot fabulas ab infante Jesu in Mosen infantem translatas esse, ut quae est puerum in cunis allocutum esse matrem, item quod de idolis Aegyptiorum Jesu adventu in faciem prostratis (*Evang. inf.* arab. 10 etc.) narratur,

item fabula de puero in furno occulto (ibidem 29), pluraque alia.

Porro ex Abulfaragio affertur quod cum *Evang. inf.* arab. 2 anno trecentesimo nono aerae Alexandri Christum natum esse dicit; item quod ait Josephum debuisse census caussa Hierosolymam ire, sed inter viam Bethlehemi Mariam peperisse Jesum, quod ille ex *Evang. inf.* arab. 2 per errorem conclusisse videtur; item quod respiciens ad *Evang. inf.* arab. 6, ubi angelus in forma stellae magos praeivisse dicitur, Zoroastrem praedixisse facit stellam Christi figuram puellae virginis habentem.

In quibus Arabum Mohammedanorum narrationibus si quae sunt quae e graecis vel latinis potius quam arabicis fontibus haustae videantur, equidem non dubito quin, invitis testibus qui nobis in manibus sunt, jam pridem apud ipsos Arabes Christianos sive ore sive scriptis propagatae fuerint. Quod autem Mohammedem cum iis qui ipsum secuti sunt ad repraesentandum prophetam suum Christum ineptiis apocryphis quam evangeliis canonicis uti malebat, id documento est quantopere ingenium orientalium fabulae indulgeat commentisque ludibundae superstitionis delectetur.

Sed jam ad ecclesiae scriptores redeundum, et quidem transeundum est ad traditiones ex *actis* Pilati derivatas. Inter has primum locum obtinet annus et dies passionis Christi. De quo utroque quum jam primis post Chr. saeculis non satis constaret, verum quaerentibus non ultimo loco

ponendum videbatur testimonium eorum quae apud Christianos circumferebantur *actorum* Pilati; quamquam mox in his ipsis, teste Epiphanio (*haeres. L. Quartadecim.* 1.) circa diem passionis observata est lectionis differentia, ita ut diversa exemplaria diversas de ea re sententias confirmarent. Utrumque vero, et annum et diem, quemadmodum etiamnum in antiquis exemplaribus nostris scriptum est, veterum multi et Graeci et Latini secuti sunt; quorum sunt antiquissimi Clemens Alexandrinus *Strom.* I. p. 407, qui tantum de anno quaerit, et Tertullianus, qui et annum et diem indicat; quam ad rem haec ipsa *acta* magnam vim habuisse, quod praeter Epiphanium etiam *homilia* VII. in pascha Chrysostomo plerumque adscripta testatur, non est dubium.

Porro tria nomina ut primum in his *actis* indicantur, ita post a multis recepta sunt. Pilati enim uxor nominatur Procla cap. 2; nisi quod ex auctoritate codicum nomen potius omittendum quam inserendum, nec tam ab auctore quam ab interpolatore profectum videtur. Idem norunt Joh Malalas, Nicephorus aliique, quemadmodum simillimum apud Aethiopes circumfertur. Cf. Thilo p. 522. *Alterum* nomen est Veronices, quo feminam illam ex fluxu sanguinis laborantem usam esse tradit cap. 7, quamquam et hoc pro codicum auctoritate nescio an auctorem adscripsisse negandum sit. Idem rursus a Clemente, Justiniani aequali, ex eoque a Joh. Malala aliisque traditum est. Nec tamen ad hos

antiquitas sive origo nominis judicanda est. Quum enim Eusebius (*hist. eccles.* 7, 18.) non modo Paneaditidem feminam fuisse, sed suis se oculis ipsam statuam ab ea in honorem Christi erectam vidisse referat: quis tandem dubitat jam tum etiam nomen, quod Eusebius tacet, in usu fuisse? *Tertium* Longini nomen est, quod in pluribus testibus et graecis et látinis (cf. Thilo p. 586 sq.) ejus militis fuisse dicitur qui lancea latus Christi aperuit. Hoc nomen ut in martyrologium Romanum (cf. ad XV. Mart.) transiit, ita prorsus in usum ecclesiae Romanae receptum est.

Sed alia videamus quae majorem ab antiquis textus testibus auctoritatem habent. Ita cap. IX. p. 572. Pilatus dicitur manus lavisse *ἀπέναντι τοῦ ἡλίου*. Ad id respici videtur in epist. imperat. apud Theodoretum *hist. eccles.* 4, 7, ubi *ἐπιστραφεὶς ἐπὶ τὰ τῆς ἀνατολῆς μέρη* Pilatus id fecisse dicitur. Idem repetit Nicephorus *hist. eccl.* II, 30.

Ita cap. XI. pag. 592. refertur, Judaeos tenebras Christo moriente soli obductas ad eclipsin sive deliquium solis retulisse. Eandem Judaeorum explicationem Tertullianus testatur *apolog.* 21, *acta* Pilati se sequi haud obscure significans. Cf. Thilo p. 594. Norunt etiam, ut videtur, Theophylactus et Euthymius Zigabenus.

Porro grave est quod *μεσούσης τῆς νυκτὸς* Christum resurrexisse refert cap. 15. p. 644. Quod idem ut jam Dionysius Alexandrinus in *epist. ad* Basilidem et Gregor Nyss. in *orat.* II. *in resurr.*

Christi, ita Hieronymus et Ambrosius invitis Latinis plerisque asserunt.

Denique exempla aliquot ex altera parte evangelii Nicodemi, ut perperam dicunt, desumta addam. Hac quidem inprimis usi sunt Eusebius Emisenus vel potius Alexandrinus et auctor *orationis in sepulcrum Christi*, quae Epiphanii plerumque esse dicitur. Atque de illo quidem accuratius visuros ad Thilonis epistolam Augustio Vratislaviensi inscriptam (6) delego, cui annexuit vir doctissimus homiliam Eusebii quartam, quae nostram de descensu Christi fabulam magna ex parte atque iisdem fere verbis repetit. Hic vero, Pseudepiphanium dico, ut passim in verbis ita plerumque in rebus cum auctore nostro convenit. Exempla sunt tum verba illa ex Psalmo XXIV. allata, capite XXI, quae postea alii quoque multi in. descensum Christi praedicta existimarunt, tum quae de Adamo ex imis inferni per Christum apprehensa manu reducto (cf. cap. XXIV.) habet.

Inprimis vero memorabilis est Johannis Baptistae persona. Hunc tanquam praecursorem Christi apud inferos auctor noster cap. XVIII. uberrime describit; quamobrem Pseudepiphanio ὁ διττὸς πρόδρομος καὶ κήρυξ ζώντων καὶ νεκρῶν dicitur. Qua in re cum eo faciunt invitis Chrysostomo *hom.* 38. in Matth. et Theophylacto ad Matth. XI, 2, Origenes (*hom. in I. Regg.* capp. 28),

(6) Cf. Thilo: *Ueber die Schriften* etc. Vide supra notam 97.

Hippolytus (*de Antichr.* cap. 45), Gregor. Naz. (*orat.* XX.) aliique multi (7).

Porro ex opere nostro fluxisse videntur quae Petrus Chrysologus *serm.* 65. de Lazaro ex inferis ad superna per Christum relato habet (vide Thil. p. 719 sq.), qui idem *serm.* 59 et 60. verba capitis 23: ὅσα ἐκέρδησας διὰ τοῦ ξύλου τῆς γνώσεως, διὰ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ πάντα ἀπώλεσας, haud obscura imitatione exprimit (vide Thil. p. 735). Item commentum illud de ignorantia diaboli Judaeos ad crucifigendum Christum compellentis (cf. cap. 20.) etsi operis nostri auctor non primus finxit — certe enim Ignatii obstare videtur auctoritas — tamen is aliquam vim habuisse videtur ut ad tot alios propagaretur. De qua re cf. Thil. p. 704.

Narrationem vero de Seth ab Adamo ad portas paradisi misso ut oleum de arbore misericordiae peteret, quum ex apocryphis libris judaicis auctor noster sumsisse videatur, ex iisdem haurire alii poterant.

Sed huc quadrat etiam computatio annorum mundi usque ad Christum natum. Hanc quemadmodum capite 19. obvia est ut antiqui multi, ita antiquissimi Theophilus, Julius Africanus,

---

(7) Cf. praeter Thilonem p. 680., Dietelmaier: *hist. dogm. de descensu* etc. pag. 156 sqq. Cum Pseudepiphanii verbis vel potius *evang.* Nicod. cap. XVIII. cf. Niceph. l. l. I. cap. XIX. in indice: ὡς ἐτμήθη ἐν τῷ συμποσίῳ τὴν κεφαλήν, καὶ τοῖς ἐν ᾅδῃ κηρύξων προῆλθε.

Hippolytus sequuntur, quibus opus de descensu nostrum aetate antecedere, ut supra vidimus, haud improbabile est.

Haec igitur exempla ut probant quot traditiones ex evangeliis nostris apocryphis in veteres scriptores transierint, ita sat alia afferri possunt quae in vulgus abierunt atque etiamnum in usu atque honore habentur. Ex horum numero est quod prope Nazarethi oppidum aquae fons est, super quem Graeci templum aedificarunt in memoriam angelicae quam Maria accepit salutationis. Id enim, quum Lucas diserte dicat angelum introivisse apud eam (εἰςελθὼν πρὸς αὐτὴν 1, 28), ab evangelii Jacobi pendere testimonio, ex quo angelus Mariam primum allocutus est quum ea ad hauriendam aquam exiisset (*Protevang.* 11), non ambigitur.

Item prope Heliopolin in vico cui Matareae nomen est, a Christianis aeque ac Mohammedanis arbor et quidem sycomorus vetustissima egregia cum pietate colitur, quippe sub qua Jesus infans cum parentibus ex itinere requievisse creditur. Nec procul ab arbore celeberrimus fons est, a Maria cognominatus, quem e terra ad infantis jussum subito promanasse narrant. Quod utrumque unde ortum sit, vides in *Evang. inf.* arab. cap. 24. et *Evang. de nativ.* Mariae etc. cap. 20. Ab Heliopoli haud multum distat sacellum Babylone exstructum, a Coptis potissimum et Graecis magno honore habitum. Ibi enim sanctam familiam quum in fuga ab He-

RODIS insidiis esset, resedisse, perantiqua fama fert (8).

Huc etiam trahendum videbitur quod Bethlehemi eam speluncam, qua ex fama antiquissima CHRISTUM natum credunt, maximo cum luxu ornarunt summoque cultu prosequuntur. Hanc enim traditionem, ut supra vidimus, non LUCAS, sed Pseudo-JACOBUS capp. 18 sqq. praeivit.

Nazarethi hodieque curiosis peregrinis JOSEPHI fabri lignarii officina ostenditur. Quod etsi nec evangeliis nostris canonicis (Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3.) contrarium est, tamen ad apocrypha potius excogitatum videtur, unde et cultus JOSEPHI habet quo commendetur, et ipse JESUS puer patrem in laboribus adjuvisse traditur. Cui traditioni simile illud est quod officina tinctoria apud Persas officina CHRISTI nuncupari solet (cf. THIL. p. 150.), quod ex fabula fluxit *Evangelii inf.* arab. capite 37. relata.

In monte olivarum exstructa est aedes sacra in memoriam ascensionis Domini, in qua media ipsum ultimum CHRISTI vestigium monstratur. Hoc eo magis ex *actis* PILATI capp. 14. 15. 16. (ad quae vide THILONIS notas) fluxisse probabile est, quoniam LUCAS CHRISTUM non de oliveto ad caelos adscendisse, sed *ἕως εἰς (πρὸς) Βηθανίαν* disci-

---

(8) Cf. etiam Aegyptiorum traditionem de arbore Persica Jesu adveniente in terram se flectente; vide THIL. p. 396.

pulos duxisse ultimum vale dicturum refert, cf. 24, 50 sq. (9).

De multis iis quae ex reliquiarum quas dicunt cultu afferri possunt exempla duo videamus. Alterum insulsum illud est quod Romae in aede S. Johannis Lateran. reliquias praeputii Christi servari dicunt. Qua de re cf. *Evang. inf.* arab. cap. 5, ubi diserte narratur, Hebraeam anum sumsisse pelliculam istam ac recondidisse in alabastro olei nardini vetusti. Alterum est quod apud Perusinos ipse annulus pronubus Josephi et Mariae asservari dicitur. Hunc in promtu est pro iis quae in actis Pilati circa desponsalia parentum Jesu disputantur, tantam gravitatem habere (10).

Denique huc pertinet quod Hierosolymae in ecclesia S. Sepulcri, quo loco rupes Golgotha significatur, Adamum sepultum dicunt. Id enim conveniens est ad commentum illud in *descensu* Christi obvium, quo Adamus inter eos fuisse

---

(9) Quae scripsi, rursus ipse impugno. Nescio enim an Lucae verba, quibus ex Act. I, 9 sqq. commentarius accedit, facilius de monte oliveti explicari queant quam quae de loco ascensionis Christi in actis Pilati leguntur. Ut enim praeteream obscurum montis nomen, modo μομφη modo μοφηκ modo μαληκ scriptum, quod unum de tribus oliveti cacuminibus designare possit; tota res sic narratur ut auctor de Galilaea potius quam de Judaea cogitasse videatur.

(10) Huc afferri etiam potest quod linteum illud, quo Christum in cruce circa femora praecinctum perhibent *acta* Pilati X. p. 582, Aquisgranenses olim apud se asservari jactabant, cujus rei vindicem nacti sunt Joh. Steph. Menochium *de rep. Hebr.* VI. cap. 2.

traditur quos Hierosolymae et in vicinia a Christo in cruce passo Matthaeus resuscitatos esse perhibet.

Cum his traditionibus ore vulgi propagatis, apud orientales maxime, satis cohaeret tertium genus quod ritus complectitur. Etiam ritus igitur in ecclesia Christiana observari dico, quorum origo ex apocryphis evangeliis nostris repetenda sit.

Hoc numero nescio an plura festa ponam vel apud Catholicos vel apud Graecos recepta. Sunt enim in memoriam instituta rerum ejusmodi quae auctoritatis nihil a canonicis, plurimum ab apocryphis habere videantur. Tale est festum nativitatis Mariae, quod in diem 8. mensis Septbr. incidit. Hoc non institui potuit antequam tam mira tamque praeclara de ortu Mariae crederentur qualia, ut identidem vidimus, proposuit Pseudo-Jacobus iique qui hunc secuti sunt atque compleverunt. Contra quid tandem evangelistae narrant, quid in actibus Lucas, quod talem Mariae cultum suadere potuerit?

Ad quod accedit festum praesentationis Mariae, quod die 21. m. Nov. celebratur. Hoc in memoriam ejus fabulae instituerunt quam *Protevang.* cap. 7. *Pseudo*-Matth. cap. 6. *Evang. de nativ.* cap. 4. *Hist.* Jos. cap. 3 tradunt. Nimirum de Maria trimula primum in templum ducta et a sacerdote mirifice excepta agit.

Tertium est quod ecclesia Romana recepit festum desponsationis Josephi et Mariae die 23. m.

Jan. Ad hoc vim habuit quod in Pilati *actis* cap. 2. adversus Judaeos calumniantes, Jesum ex fornicatione natum esse, duodecim testes prodeunt urgentes illud, se in ipsa Mariae desponsalia (εἰς τὰ ὁρμαστρα Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας) interfuisse.

Quartum est festum quod fabulositate originis cetera etiam superat, in memoriam immaculati conceptus Deigenitricis apud Latinos (8. Decbr.) et Graecos (9. Dec.) institutum. In Horologio Graecorum dicitur ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας καὶ θεοπρομήτορος Ἄννης. Id sine dubio iis nititur quae *Protevang.* cap. 4. et *Evang. de nativ.* Mar. cap. 2 sqq. circa conceptionem Annae post tam diuturnam sterilitatem omnium exspectationem superantem exponuntur; unde quomodo ipsam immaculatam conceptam conjicerent, supra indicatum est, quum quinque menses, intra quos Mariae sterilitas soluta est, maritum Joachimum absentem dici urgebamus.

Huc addere possis festum quod Graecis placuit in memoriam uxoris Pilati (27. Octb.), quae in *actis* Pilati diserte θεοσεβὴς (καὶ ἰουδαΐζουσα) dicitur, a qua re facile concludi potuit postea eam amplexam esse fidem Christi.

Sed alium ritum videamus. Romae in summo examine de iis qui in sanctorum numerum adsciscendi sunt, maximi fieri solet illud quod imperium circa bruta dicunt. Quod ut in S. Francisco, ita in aliis pluribus fuisse assertum est. Quod quamquam non alienum est ab antiqua et communi superstitione, ex qua mirificorum

ingeniorum auctoritas etiam in bruta valet, tamen ecclesiae usus ad eas respicere videtur fabulas quae Jesum puerum draconibus, leonibus, pardis imperasse tradunt. Cf. *Evang. de nativ.* Mar. etc. capp. 18. 19 (11).

Hoc loco memorabilis etiam est cantus vetus, quo Catholici Romani in solemnibus nataliciis Christi utuntur. Ibi est, Dei sanctam genitricem *per aurem* concepisse, item *per aurem* virginis Dominum introivisse. Hoc cum doctissimo Thilone (cf. pag. 367.) conformatum puto ad id quod est in *Protevang.* cap. 11. Mariam „ex verbo Dei" concepturam esse: *συλλήψῃ ἐκ λόγου αὐτοῦ* (12), quae angeli verba sunt.

Cum ritibus baptismalibus componi potest quod in *Historia filiorum* Symeonis cap. 27. ipso paschatis tempore redivivi illi baptismum subiisse et (in textu latino) post baptismum albas vestes accepisse dicuntur. Utrumque enim ex antiquissimo Christianorum more est; sed hunc ejus historiae auctor non praeit sed sequitur. Simile est quod in Jordane potissimum ille paschalis baptismus locum habet, quemadmodum hodieque in paschalibus solemnibus omnis piorum peregrinorum multitudo Hierosolyma ad

---

(11) Praeterea similia apud Arabes circumferuntur, ut supra notatum est; alia etiam mei addunt codices latini.

(12) Ita in pluribus codicibus et editionibus legitur. Differt Venetus codex qui habet *ἐκ πνεύματος ἁγίου*. Sed hoc quidem loco mutatum eum esse ad scripturam canonicam non dubium est.

Jordanem convenit ibique sanctum quoddam lavacrum subit.

Restat ut de quarto traditionum genere videamus probaturi etiam ad artis opera, inprimis picturas, apocrypha evangelia valuisse (13).

Notissimum illud est, JOSEPHUM nutricium JESU a pictoribus decrepitum senem repraesentari. Quod ut aperte repugnat canonicis, ita prorsus cum apocryphis convenit. *Item* JOSEPHUM pingunt viridem ramum manu tenentem. Quod ex memoria faciunt rami sive virgae ejus ex qua, quum divini nuntii caussa columba provolasset — ipsam columbam passim a pictoribus additam vides — JOSEPHUS ad custodiendam virginem electus est. Cf. *Evang. de nativ.* MAR. etc. cap. 8. *Item* in picturis quae JESUM recens natum repraesentant, saepe expressum est illud quod *Evang. de nativ.* MAR. etc. cap. 14. tradit, »ipsa animalia scilicet asinum et bovem in medio habentes JESUM incessanter adorasse eum." Exemplum vides apud MÜNTERUM: *Sinnbilder und Kunstvorstellungen* etc. in tabula X. nr. 50. *Item* Parisiis vidi picturam sanctam familiam in fuga

(13) Quam in rem BRUNET: *Les évangiles apocryphes. Paris* 1848. p. V.: Laisser de côté l'étude des Évangiles apocryphes, c'est renoncer à découvrir les origines de l'art chrétien. Prae ceteris huc conferendi sunt: MOLANUS: *historia imaginum;* HILSCHER: *de erroribus pictorum circa nativitatem Christi;* ROHR: *de pictore errante in historia sacra;* MÜNTER: *Sinnbilder und Kunstvorstellungen der alten Christen;* J. G. MÜLLER: *die bildlichen Darstellungen im Sanctuarium der christlichen Kirchen vom* 5. *bis zum* 14. *Jahrh.*

repraesentantem, ubi praeter duos angelos flores adferentes, tertius est ramum arboris inclinans ut virgo inde fructus posset decerpere. Quod ad *Evang. de nativ.* Mar. etc. cap. 20. conformatum esse in promtu est. *Item* celebris est pictura formae maximae apud Venetos reposita, in qua Maria trimula repraesentatur quindecim templi gradibus ascendens, parentibus omnibusque qui adstant obstupentibus. Quod accurate compositum est ad *Pseudo*-Matth. *Evang.* cap. 6, a quo paullum differt narratio *Pseudo*-Jacobi cap. 7. *Item* in monasteriis sacrisque aedibus Graecorum annuntiatio angelica plerumque sic depicta est ut Maria hydriam manu gestans ad aquae fontem stet. Quod ad eundem plane modum *Protevang.* cap. 11. narrat, contrarium Lucae (I, 28.) et quae inde fluxit Latinorum traditioni. Eandem rem, quamquam singula aliquantulum differunt, in antiquissimis tabulis Syriacis expressam observavit Thilo cf. pag. LXXI sq. *Item* stabulum in quo Jesus natus est coelesti luce collustratum solent pingere. Qua de re confer *Protevang.* cap. 19.

Porro omnibus notum est, Jesum in cruce depingi circa femora linteo praecinctum. Qua de re in varias partes disputatum est. Sed quum et ex veteri usu, quem inter alios Artemidorus *Oneirocrit.* I, 58. II, 53. testatur, constet, nudos in crucem agi solitos esse, et evangelistae de tali operimento nullam mentionem faciant, in *actis* vero Pilati cap. 10. id ipsum dicatur, mi-

lites crucifigentes vestimentis exspoliatum linteo praecinxisse, equidem haud dubito quin ex his *actis* ista pictorum sculptorumque ratio, si non originem, certe commendationem auctoritatemque habuerit (14). Cum hac re cohaeret aliud, quod et ipsum invitis evangelistis ad disertam *actorum* PILATI assertionem (cf. l. l.) conveniens est. Praeter illud enim operimentum JESU de cruce pendenti coronam spineam pictores imponere solent. De quibus aliisque vide infra.

Ultimum exemplum ex *Descensu ad inferos* desumam. Ibi si latinum textum sequimur cap. 20 sqq., Mors inducitur tamquam unus de Satanae satellitibus. Ad eum modum Mortem et Satanam conjunctos passim repraesentarunt pictores. Ad quod comparari potest MÜNTERI *Sinnbilder und Kunstvorstellungen* etc. tabula IV. nr. 86., qua Mors curru vehitur duobus leonibus juncto. Ceterum curiose perlustravi summi poetae italici divinam comoediam, quum rationem inferni ejus ab ideis auctoris Descensus aliquo modo pendere suspicarer. Sed paucissima in utroque conferri possunt, in quibus nescio an notabile illud sit quod DANTE, liberrime quidem, JOHANNEM BAPTISTAM etiam apud inferos viam Do-

(14) Itaque minime iis assentior qui vice versa auctorem hujus libelli hac re pictores secutum putant. Qua de re uberius infra dicetur, ubi de JESU vita ex his evangeliis illustranda sermo erit. Ceterum nescio quibus argumentis probari possit, picturas JESU de cruce pendentis seriori demum aevo adscribendas esse.

mini parantem exemplo JOHANNAE suae imitatus est (15).

§. 5.

Haec exempla, quibus studuimus probare quantum evangelia apocrypha utilitatis habeant in indaganda traditionum christianarum variis modis propagatarum historia, unde potissimum desumta sint plerumque jam indicatum est. Inde apparet, hunc historicum usum prae reliquis omnibus, quae JESU ortum atque infantiam tractant, in Protevangelio inesse, quamquam haud raro factum est ut traditiones, missa Protevangelii simplicitate, latius propagarentur, quemadmodum in latinis atque arabicis excultae sunt. Hinc ut in illo traditionis alicujus origo, ita in his serior ratio plerumque conspicua est. Qua in re arabici libri hoc singulare habent, quod docent quantus sit orientalibus ingeniis harum fabularum et amor et studium. Proximum vero Protevangelii locum, pro multitudine et gravitate traditionum quae inde fluxerunt, acta PILATI sibi vindicant. Sed in his prae ceteris caute observanda est textus et graeci et latini varietas, in qua rursus traditionum quandam historiam per-

(15) Cf. GRAUL: DANTE ALIGHIERI's *göttliche Komoedie.* 1 Theil. pag. LII. Praeterea Francorum more speciosis vera posthabentium apud BRUNET, de secunda evang. NICOD. parte disserentem, l. l. pag. VII. dicta sunt illa: l'auteur du Paradis perdu et celui de la Messiade s'en sont inspirés.

sequi licet. Resuscitatio vero filiorum Symeonis pro re quam tractat, multo magis ad dogmatum quam traditionum historiam pertinet, etsi nec in his desunt quae illustret.

Singula autem quae ex fontibus his evangelicae historiae apocryphis in ecclesiae vitam atque multiplicem usum transierunt, sensim in succum et sanguinem totius Christiani cultus conversa, si omnia in unum conjuncta tenemus, mens non potest non obstupescere. Tantum enim non unus alterve doctorum sed ipsa ecclesia ab evangelii veritate, quae ex ipsius antiquae ecclesiae sano et cauto judicio in canonicis libris deposita est, tantum inquam ab evangelio ecclesia sensim deflexit ut tempus illud triste, quod Paulus apostolus futurum praevidit, in epistola II. Timotheo suo scribens fore ut a veritate quidem auditum avertant, ad fabulas vero convertantur (16), dudum venisse videatur. Quod non ex arbitrio dico meo, sed divina evangelii vox jubet. Neque ipsius opinor Romanae ecclesiae me deserit auctoritas, sed graviter adjuvat; dudum enim apocryphos libros quos tractamus omnes publice proscripsit et ab usu prohibuit. Quod sane mirum est nec »sine numine," ut cum antiquis loquar, accidit ut ipsa se suo jugularet gladio, providens ne errorem secutura errorem ignorasse videatur. An vero major est ecclesia evangelio? Cujus canonici testes si posteritati

(16) Cf. II. Tim. IV, 4.

non omnia litteris mandata tradiderunt quae de rebus fatisque Christi primi aevi homines nosse et conservare possent: tamen nihil quod evangelistarum fidem non corroboraret aut compleret, sed labefactaret atque infringeret, ab ecclesia veritatis custode, nisi secum pugnare seque ipsa deserere vellet, unquam recipi debebat.

Quae quum ita sint, Reformatores ecclesiae, quos saeculum decimum sextum vidit, evangelicae veritatis praeclari vindices eo ipso facti sunt, quod quidquid festorum aut rituum ab apocryphis potius quam a canonicis profectum esset testibus, fidenter abrogarunt, neque quidquam quod cum canone pugnaret, ad salutarem fidem pertinere praeceperunt.

§. 6.

Nihilominus sua manet apocryphis virtus, non tantum per se spectatis, sed etiam ad canonica comparatis. Quam utrorumque comparationem eo consilio instituemus ut quem apocrypha usum, partim criticum partim exegeticum, canonica tractantibus praebeant, breviter demonstremus. Criticus autem usus rursus duplex est: alter enim ad librorum sacrorum, sive totos sive partes spectas, authentiam, alter ad textus sacri integritatem pertinet; sive ut cum scholis loquar, alter a sublimiori, alter ab inferiori est critica. Sublimiorem autem quam dicunt ita adjuvat, ut canonicorum evangeliorum authen-

tiam maximopere sustentet. Id quod tribus modis fieri arbitror. Primum enim apocrypha luculenter testantur quanta jam ante medium saeculum secundum canonicorum in ecclesia fuerit et propagatio et auctoritas. Quam in rem egregie quadrat IRENAEI illud : »Tanta est autem circa evangelia haec firmitas ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam" (17). Neque minus audiendus est TERTULLIANUS, necesse esse dicens, veritas falsum praecedat (18). Apocrypha enim tantopere a canonicis pendent, ut qui illa inveniebant, ad haec multifariam se conformasse clarissimum sit. Hos vero, qui consilium habebant ea scribendi quae suis ipsorum rationibus vim atque auctoritatem compararent, prorsus improbabile est ad canonica se conformaturos fuisse nisi his jam tantus in ecclesia et usus esset et gravitas, ut inde proficisci suaque nova veteribus his superstruere deberent. Sed ne optare non docere videamur, quum nec desint qui aliter sentiant, id ipsum nobis probandum erit, a canonicis apocrypha, et quidem antiquissima, pendere. Quod antequam singulis quibusdam exemplis doceamus: quid quod ipsa rei summa, in qua apocrypha versantur, ad canonicum quiddam respicit? Protevangelium enim virginitatem MARIAE nas-

---

(17) Cf. *adv. haeres.* III, 11.
(18) Cf. *adv.* MARCION. IV, 5.

cente Jesu incolumem servatam non docuisset, nisi Jesum a virgine de spiritu sancto conceptum esse ex Matthaei (I, 18 sqq.) et Lucae (I, 20 sqq.) evangeliis jam constitisset. Neque ortum aut juventutem virginis tantis laudibus celebranda visa esset, nisi quantam benedicta mater Domini gratiam Dei exsperta esset, illi jam docuissent. Videbantur autem horum narrationes tali evangelio tanquam supplemento utique opus habere.

Porro Thomae evangelium ita comparatum est, ut ponat nihil miraculorum pueri in canonicis tradi; ipsum in eo versatur ut ista de suo addat, quibus Lucae II, 40 re quasi comprobat, si non superat. Momentum praeterea habet quod Pseudo-Thomas — teste certe Georgio Syncello (19) nec dissentiente vulgari textu — non ultra duodecimum annum progreditur; nimirum hunc terminum ad Lucae de puero duodecenni narrationem convenire volebat.

Acta autem Pilati quum Christi res ultimas ita narrent, ut alia ex evangeliis nostris repetant, alia immutent aut addant, tum id consilii produnt, ut reditum ejus in vitam et ascensum ad coelos ipsorum adversariorum gravi testimonio confirment. Quod ejusmodi est ut ulterius evangeliis procedat, quae suo pondere omnino sustentare videtur.

Denique descensus Christi ad inferos quum illorum Matthaei verborum XXVII, 52 sq., tum

(19) Cf. Thilo l. l. LXXXV.

eorum quae Lucas habet XXIII, 43, quasi commentarium praebet.

De singulis autem haec prae ceteris probandi vim habent:

1) in *evangelio* Jacobi:

Cap. IV, pag. 184 de Anna per angelum se concepturam edocta: *Ἄννα Ἄννα, ἐπήκουσε Κύριος ὁ θεὸς τῆς δεήσεώς σου, συλλήψῃ καὶ γεννήσῃ* etc. cf. cum Luc. 1, 13 sqq. de Zacharia et Elisabeta: *Μὴ φοβοῦ, Ζαχαρία, διότι εἰςηκούσθη ἡ δέησίς σου, καὶ ἡ γυνή σου Ἐλισάβετ γεννήσει υἱόν σοι* etc.

XI, pag. 214 sqq. cum Luc. I, 288 sqq. Confer inprimis salutationem angelicam ad fontem: *Χαῖρε, κεχαριτωμένη* etc. cum Luc. I, 28 *Χαῖρε, κεχαριτωμένη* etc.; item sqq.: *Μὴ φοβοῦ, Μαριάμ· εὗρες γὰρ* etc. cum Luc. I, 30: *Μὴ φοβοῦ, Μαριάμ· εὗρες γὰρ* etc. Ibid. quod est *ἐκ λόγου αὐτοῦ* nescio an ex *ἐπὶ τῷ λόγῳ* I, 29 apud Lucam fluxerit. Porro Lucae verba: *Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω*, definitius reddidit Pseudo-Jacobus his: *Εἰ ἐγὼ συλλήψομαι ὡς πᾶσα γυνὴ γεννᾷ;* Ea vero quae sequuntur: *δύναμις ὑψίστου* etc. ex Luca (I, 35) et Matthaeo (I, 21) collegit. Verba *καὶ καλέσεις* etc. aptius sibi videbatur hoc loco addere quam quo apud Lucam (I, 31) sunt.

XII, pag. 218 sqq. cum Luc. I, 39 sqq. Haec aptissima ad nostram rem sunt. Apud Jacobum Elisabet jam ex eo, quod Maria ad portam pulsat, tantam illam laetitiam capit, quae apud Lucam rectissime ex salutatione sequitur. Verba apud Jacobum: *Μαριὰμ δὲ ἐπελάθετο τῶν μυστηρίων* etc.

probant auctorem legisse quae apud LUCAM sequuntur I, 45, sed ea simul cum hymno MARIAE suo modo compensat. Praeterea mirum in modum verba: *ὅτι πᾶσαι αἱ γενεαὶ τῆς γῆς μακαριοῦσίν με*, ex ipso hymno praesumit.

XIV, p. 226 ad ea quae antea cum LUCA convenienter narravit, addit etiam quae gravia videbantur apud MATTHAEUM, egregie utrumque consocians quod theologis saepe diversum visum est. Jam autem repetit suo loco verba *αὐτὸς γὰρ σώσει* etc., quae cap. XI verbis ad MARIAM dictis inseruerat.

XXI, p. 254 sqq. Haec de adventu magorum narratio quantopere ex MATTHAEO (II, 1 sqq.) petita sit, per se clarum est. Capite vero XXIII. p. 266 memorabile est illud: *καὶ περὶ τὸ διάφραγμα ἐφονεύθη Ζαχαρίας.* His enim ea quae Luc. II, 51 de ZACHARIA habet inter altare et aedem caeso, tantae illa quidem ambiguitatis, planissime explicantur.

2) in THOMAE *evangelio:*

Cap. VIII, p. 296 *βλεπέτωσαν οἱ τυφλοί* cf. cum Marc. IV. 12 *ἵνα βλέποντες βλέπωσιν* etc. Ibidem verba: *ἐγὼ ἄνωθεν πάρειμι* cum Jo. VIII, 23: *ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί.* Ibidem: *οὐδεὶς ἀπὸ τότε ἐτόλμα παροργίσαι αὐτόν* cum Marc. XII, 34: *καὶ οὐδεὶς οὐκέτι ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.*

X, p. 300 *ὁ δὲ ὄχλος ἰδὼν τὸ γεγονός* etc. cf. cum Luc. XXIII, 47. In textu Sinait. p. 52. sub *Τῇ δὲ ἐπαύριον* cf. *ὅταν ἴδητε τὸν σταυρόν μου, τότε πιστεύσητε ὅτι ἀληθῆ λέγω* cum Jo. VIII, 28 *ὅταν*

ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσεσθε ὅτι etc., item πρὸ γὰρ τῶν αἰώνων εἰμί cum Jo. VIII, 58 πρὶν Ἀβραάμ etc., item ὑμεῖς ἃ οἴδατε λέγετε et sqq. cum Jo VIII, 38 ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε — ποιεῖτε sqq.

Porro ineptae imitationis speciem haec prae se ferunt: cap. III de puero maledicto et arboris instar exarescente, cf. Mt. XXI, 19 sqq. de ficu; cap. XVII de infante in vitam revocato, cf. Luc. VIII, 51 sqq. de filia Jairi: cap. I. de sabbati violatione cum pluribus evangeliorum locis (20). Praeterea exemplorum nihil attuli ex cap. XIX, in quo praecipuas interpolatoris partes esse non dubito. Totum vero illud quidem a Lucae textu pendet.

3) in *actis* Pilati:

I, p. 508 sqq. cursoris relatio de Hebraeis Osanna clamantibus ad ea respicit quae Matthaeus XXI, 1 sqq. cum ceteris evangelistis de solemni Jesu introitu narrat.

II, p. 520 uxoris Pilati nuntius cf. cum Mt. XXVII, 19.

IV, p. 542 quae de Jesu referuntur asserente templum se Salomonis dissoluturum ac tribus diebus reaedificaturum cf. cum Jo. II, 19 sq. et Mt. XXVI, 61.

VI—VII quae de aegroto ad lacum Bethesda, de caeco nato, de femina sanguine fluente nar-

(20) Similis ratio est narrationum de Jesu accusatoribus visu privatis cap. V. et de Zenone puero de solario dejecto cap. IX., quae ad Act. 13, 6 sqq. et 20, 7 sqq. conformata videntur.

rantur, ea ad Jo. V, 5 sqq. IX, 13 sqq. Mt. IX, 20 sqq. composita esse planissimum est.

X, p. 588 verba latronum in cruce cf. cum iisdem apud Lucam XXIII, 39 sqq.

XI, p. 590 signa quae mortem Christi comitantur cf. cum Lucae et Matthaei locis geminis, quos auctor *actorum* passim conjunxit. Ita *καὶ ἐσχίσθη* usque *κάτω* ex Mt. XXVII, 51. (Mc. XV, 38) sumsit, quod vero statim subjungit: *καὶ φωνήσας* sqq. ex Luca XXIII, 46. Ex hoc rursus petiit quae de centurionis et multitudinis quae adstat testimoniis habet.

XIII, p. 608 sqq. quae custodes sepulcri de Domini reditu in vitam sacerdotibus referunt cf. cum evangelistarum de ea re narrationibus; inprimis verba: *τὸ πῶς ἐγένετο σεισμὸς μέγας* cf. cum Mt. XXVIII, 2: *καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας*; item *πῶς ἄγγελος κατέβη* usque *ἐπάνω αὐτοῦ* cum Mt. l. l. *ἄγγελος γὰρ Κυρίου* usque *ἐπάνω αὐτοῦ*; item quae sequuntur *ἦν δὲ ἡ ἰδέα* usque *νεκροί* cum iisdem fere verbis Matthaei XXVIII, 3 sq.

4) in *descensu* Christi:

XVIII, p. 682 verba Johannis Baptistae apud inferos de Christo testantis cf. cum Mt. III, 2 sq. 16 sq. et Jo. I, 29. Qua in re inprimis memorabile est quod auctor ex variis locis gravissima collegit et conjunxit (21).

---

(21) De verbis ibidem positis *ὅστις πιστεύσει πρὸς αὐτὸν* usque *κατακριθήσεται* cum Marc. XVI, 16 conferendis et jam vidimus et rursus infra videbimus.

XX, p. 704 verba Christi, ad quae diabolus provocat, Matthaei sunt: XXVI, 38.

XXIV, p. 746 Sanctorum Christum sequentium psalmum: *Εὐλογημένος* etc. cf. cum Mt. XXI, 9. (Ps. XVIII, 26).

XXVI, p. 772 sermones inter Christum et latronem cf. cum Luc. XXIII, 42 sq. De differentia quae h. l. inter Lucam et auctorem libri apocryphi est, vide infra.

In his exemplis frequens apocryphorum consensio cum ipsa littera canonicorum est. Cujus gravitas nequaquam eó debilitatur, quod sunt quae in utrisque differunt. Ad hoc enim illa utique inventa sunt ut fucosis arbitrariae pietatis studiis, quae »dolum dolo repellerent" (22), historici fnndamenti speciem atque commendationem praeberent; ab iis vero religio textus incorrupti alienissima erat. Neque negandum est, potuisse ab his scriptoribus, qui rebus gestis tam prope erant, quaedam rectius aut uberius aut definitius quam ab evangelistis tradi. Qua de re diligenter post videbimus. Ista vero apocryphorum ad canonica conformatio, quae dubitari nequit, eo plus momenti habet quo illa sunt antiquiora. Atque ea quidem quatuor de quibus modo vidimus medium saeculum secundum non modo aequare sed etiam antecedere videri, idoneis ni fallor argumentis supra demonstratum est.

(22) Cf. Hieronym. *ep. ad* Pammach.

§. 7.

Ad hoc authentiae canonicorum evangeliorum documentum ex apocryphis sumtum, accedit alterum, quod a comparatis inter se miraculis proficiscitur, quemadmodum in utrisque proponuntur. Hoc, ut breviter dicam, in eo est quod miracula apocryphorum a divina canonicorum nobilitate mirum quantum distant. Ratio enim tota in illis ineptam plerumque superstitionem atque ludibrium redolet. Exempla haec sunt:

In *evangelio* JACOBI c. 20. SALOMAE (obstetrici) pro eo quod non temere credidit immaculatum partum virginis, manus igne ardet, quae assumto puero recens nato restituitur. Ibidem cap. 22 in gratiam ELISABETAE et JOHANNIS effugientium HERODIS insidias divisus repente est mons ut matrem et filium in se reciperet. Ibidem cap. 24 sanguis ZACHARIAE injuste occisi in templo instar lapidis factus est in perpetuam facinoris memoriam. Ibidem cap. 9 ex JOSEPHI virga stupendum in modum columba evolat; nihilominus JOSEPHUS coelesti mandato ἀντειπεῖν conatur.

In *evangelio* THOMAE JESUS puer e luto passeres facit suoque verbo vivos reddit, collisa hydria matri aquam affert in pallio; unum tritici granum quod seminavit centum coros facit; lignum brevius apprehendens aequale reddit longiori.

In *evangelio* NICODEMI signa sive fasces coram JESU praetorium ingrediente invitis signiferis inclinantur; carcer quo JOSEPHUS ARIMATHAEUS in-

clusus est, nocte a quatuor angulis (alii habent angelis) suspenditur ex eoque Josephum Jesus redivivus in locum sepulturae suae deducit (23).

His similia in canonicis evangeliis frustra quaeris; nec enim forte ficus ex Domini verbo arescens comparari potest; qua Christus ut fidei potestatem discipulos docuit, ita gravem Judaicae gentis imaginem proposuisse videtur. Neque magis quadrat illud de Gerasenis daemoniacis, in quorum salutem porcorum grex perit; quamquam id ipsum ejusmodi est quod dubites an non famae vicissitudines subierit.

Porro autem apocrypha miracula, nisi portenta mavis vel prodigia, pleraque eo fiunt consilio ut videntes obstupescant, ut prae insolentia rei quo se vertant nesciant. Contra quae evangelium habet, non fiunt quin ad divinum auctorem animos adducant fidemque suadeant. In illis enim unice prodigiosum id quod fit eminet, miraculum miraculi caussa fit atque ostentatur; in his miraculi nil fit nisi ut doctrinam vel personam Christi prae oculis animisque sistat, neque divina vis ubique venditatur sed saepe indignis negatur.

Huc accedit quod quae a Jesu puero miracula perpetrantur in Thomae evangelio, unde quaedam haud diversa in alios quoque libros trans-

---

(23) Horum exemplorum fabulositatem seriora evv. arabica et latina passim etiam superant. Altera vero *evang.* Nicod. pars cum *descensu* Christi *ad inferos* tota quam mira fabula nitatur, in promtu est.

ierunt, pleraque animum produnt violentum, nocendi cupidum, alienis ludentem atque gaudentem malis, potentia sua misere abutentem. Quale est quod filium ANNAE pueriliter ludentem iratus exarescere jubet, item alium puerum extemplo mortuum cadere; quod scholae magistro maledicit ut exanimis procidat; quod accusantes ipsum extemplo caeci fiunt. Qui animus quam indignus sit persona CHRISTI ab evangelistis depicta, non est quod demonstrem. Cui enimvero non ante oculos obversantur tot aegroti sanati, esurientes satiati, mortui revocati in vitam, tot denique miseri in salutem restituti?

Sed haec quae inter scriptores utrosque, canonicos et apocryphos, miraculorum diversitas est, egregie facit ad confirmandam illorum fidem. Nativam enim divini ingenii vim consequitur simiae instar inepta imitatio. Umbrae instar comitantis solem ratio apocrypha comitatur canonicam. Servi squallorem in illis, splendorem domini in his agnoscis. Ibi vana ars, hic est sinceritas; petulantia illic, hic majestas; illic falsitas, hic est veritas. Tale est comparatis utrisque integri arbitri judicium, quod opinor erroris convinci non potest nisi insana dubitandi cupidine aut temerariis dissimillima confundendi artibus.

§. 8.

Quibus authentiae evangeliorum canonicorum argumentis nescio an tertium quoddam adjun-

gam, a critica textus ratione ex iisdem apocryphis desumtum. Id in eo positum est quod ex criticae rationis diversitate altera convinci fraudis, altera authentiae commendationem habere dico. Fraudis enim apocrypha convincuntur ex mira qua laborant textus ambiguitate, a qua immensum canonica differunt, quamquam et ipsa haud exigua lectionum varietate premuntur. Quae antequam unde sit quaeramus, singularem textus inconstantiam in universum apocryphis sive suppositiciis scriptis propriam, exemplis docebimus.

Inter ea quae per errorem manifestum Clementi Romano tribuuntur *Epitome* est *de actis, peregrinationibus et praedicationibus* Petri. Hujus textum quum in aliquot codicibus et Parisiensibus et Italicis explorabamus, tanto opere edita et manu scripta differre vidimus ut tantum non diversa viderentur. Simile quid experti sumus in nonnullis testibus *Constitutionum Apostolicarum* quae ad eundem Clementem referri solent. Maxime vero huc pertinent Prochori *de* Johanne *evangelista commentarii* sive *περίοδοι Ἰωάννου παρὰ Προχόρου*, quos apocryphos esse nemo dubitat. Horum textus, quem et ipsi passim indagavimus (24), tanta varietate laborat ut margo

(24) Praeterea vide Birchii *Auctarium* p. 261 sqq. et LXIX sq.; item Thilonis *Acta* Thomae p. LXXII sq.; item *annales Vindobon.* tom. CXIV. *Anzeige-Blatt* p. 50 (in Tischendorfii »*Rechenschaft*" etc.)

alterius codicis ea quae in altero discrepant, nullo modo capere possit. Mitto alia exempla, quamquam in promtu sunt.

Sed hoc unde tandem sit quaeritur. Inde est quod quae ut primum in vulgus edebantur, aequalibus non esse eorum videbantur quibus adscribebat et titulus et praesumtio, nulla religione ab iis tractata sunt qui describebant aut corrigebant. Quae enim ab ingeniorum arbitrio profecta credebantur, in iis quodvis et sibi quisque licere putabat. Hinc mutarunt, addiderunt, omiserunt. Audacia quippe audaces facit. Contra quae, simul ac foras dabantur, communem quandam veri auctoris famam habebant, non aliena alliciebant studia ac tutiora a describentium licentia erant.

His praemissis ipsa apocrypha evangelia videamus. Haec, et quidem ut de reliquis taceam, antiquissima Jacobi et Thomae, item *acta* Pilati (25), corrupto textu longe superant exempla quae attulimus. Quod quum jam e Thilonis opere conspicuum fiat, tum adsumtis opibus nostris clarissimum fit. Sed singula percensere quum neque opus et longissimum sit, pauca exempla satis erunt. *Protevangelium* quem titulum habet, is in quovis fere codice aliter scribitur. Apparatu Thilonis nostris adaucto subsidiis quindecim ejus formas habes. Neque minus

(25) Ab his miro modo differt textus *descensus* Christi *ad inferos*, ut jam supra indicavi p. 70.

variat *evangelii* Nicodemi quod dicunt titulus; *evangelium* vero Thomae, quod paucissimis testibus utitur, tot inscriptiones habet quot codices. Sed id ad caussam nostram minoris momenti esse ii existimabunt qui bene norunt, titulos librorum in aliis quoque auctoribus librariorum arbitrium expertos esse. Quantum vero ipsum *evangelium* Thomae in Sinaitico codice a textu Thilonis discrepat! Nimirum tanta est discrepantia ut ne versus quidem in utroque prorsus idem videatur. Ejusdem libri initium Thilo etiam ex codicibus Parisiensi et Vindobonensi laudat; qui quum satis inter se differant, tum omnes rursus a Sinaitico longe discedunt.

De *evangelio* Jacobi extremum caput conferatur, quod incipit: Ἐγὼ δὲ Ἰάκωβος. Ejus varietas Thilonis studio ex pluribus codicibus plena ante oculos posita est. Cum ea rursus conjungenda sunt quum Venetus textus a Suckovio editus tum quae ipsi ex quatuor codicibus italicis in appendice exhibuimus (26).

Acta Pilati vero tota miram describendi licentiam experta esse jam ex Thilonis apparatu satis

---

(26) Praeterea, ut hoc addam, hujus evangelii initium in cod. Veneto XX class. XI, cujus et inscriptionem et finem in appendice critica dedimus, ita legitur ut prorsus singulare sit. Incipit enim sic: Ἐπειδὴ ἐξ ἀρχῆς ὁ θεὸς πλάσας τὸν ἄνθρωπον ἔδωκεν αὐτῷ ἐντολήν, δοκιμασίαν τινὰ καὶ ἀποπεῖραν ὅπως ἐκ τούτου νοεῖ (sic) τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην καὶ μὴ παριστρήσας (?) ἐκπέσει (sic) τῆς δωρεᾶς· εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἐντολὴν φθόνῳ προσληφθεὶς ἔπεσε πτῶμα χαλεπόν etc.

intelligitur. In aliis enim codicibus integra capita habentur quae in aliis non habentur; in aliis textus brevior, longior in aliis; in aliis dicendi genus graecum, in aliis fere barbarum est. Quid quod et Nicodemus et Aeneas et Josephus Arimathaeus et Johannes Theologus aliique horum *actorum* auctores scribuntur.

Cum his igitur comparanda sunt canonica. Quae etsi pro multitudine et transscribentium et patrum allegantium et interpretum, qua quicquid bonarum litterarum exstat longe antecedunt, multis locis lectionum varietate laborant, tamen plane aliena sunt a tali textus inconstantia quae propria esse solet apocryphis. Id quod ad editiones Novi Testamenti criticas, recentissimas maxime, judicandum est. Unde hoc sequitur, a primis inde temporibus evangelia postquam in publicum prodiissent, auctores, quos prae se ferunt, non esse in dubium vocatos.

Atque haec quidem de evangeliis, si universa spectas, disputata sunt. In singulis vero partibus inveniuntur quae propter id ipsum, quod textum pariter atque apocrypha fluctuantem habent, in suspicionem suppositicii cadunt. Ejusmodi prae ceteris est pericopa de femina adultera, plerumque Johannis evangelio inter cap. VII et VIII. inserta. Hanc ab Johanne evangelista non scriptam esse, quum gravissimorum testium qui omittunt auctoritate, ipsa dicendi ratione, contextu interrupto probatur, tum eorum testium qui habent, mira textus varietate

confirmatur, quae quidem tanta est quanta in nulla alia librorum sacrorum parte. Similis ratio est ultimorum evangelii Marci versuum, qui, praeterquam quod graves quidam omittunt, ut a nonnullis et graecis (ut cod. L. aliique) et latinis (ut bobbiens. cod. aliique) testibus alio prorsus modo traduntur, ita in aliis multis ultra modum discrepant. Sed de his mox accuratius disputandi locus erit (27).

§. 9.

Talis igitur usus evangeliorum apocryphorum criticus est, si de canonicorum authentia quaeritur. Nec vero minorem ad criticam inferiorem quae in scholis dicitur vim habent. Faciunt enim non modo ad lectiones canonici textus partim confirmandas partim reprobandas, sed etiam ad explicandam variantium lectionum originem. Illud quidem eo fieri clarum est, quod antiquissimo testimonio suo cetera testimonia aut corroborant aut labefactant; hoc vero ita fit ut passim lectiones canonis ex semetipsis fluxisse arguant. In quibus dijudicandis ut maxima cau-

(27) Similis etiam ratio est textus Apocalypseos. Cujus authentia quum inde a primis p. Chr. saeculis multis ecclesiae doctoribus graviter suspecta, nonnullis adeo negata esset, quemadmodum recentiori aetate a pluribus impugnata quam defensa est, factum est ut textus maximam pateretur describentium licentiam, etsi pauciore quam cetera Novi Testamenti scripta librarios nactus est.

tione opus est, ita nulla ejusmodi est scripta lex quae errorem praecludat. In universum praecipiendum puto, ut si qua lectio et propria indole et testimoniorum ratione suspecta est, eo confidentius pro falsa habeatur si eadem in apocryphis legatur.

Ceterum critica auctoritas his evangeliis utpote ab aetate apostolorum proximis adscribenda diminuitur eo quod et ipsa, quippe per tot saeculorum seriem propagata ac licentiam librariorum haud vulgarem experta, tot interpolationes subierunt atque etiamnum criticam editorum manum exspectant. Quapropter non cautum est a Thilonis aut Fabricii aut aliorum textu ad crisin Novi Testamenti adhibere quidquam quin ipsorum apocryphorum apparatum criticum diligenter circumspexeris.

Nihilominus quem dixi usum exempla multa comprobant. Exemplis autem afferendis qualis esse usus debeat, clarum fiet. Hinc *primum* quidem ejusmodi afferam ubi apocrypha iis locis quorum lectio fluctuat, id tenent quod vel rectum vel satis probabile vel certe grave est.

Mt. I, 20. lectio ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου confirmatur *Protevang.* XIV, p. 226. contra lectionem ἐκ πνεύμ. ἁγίου ἐστίν, in DL. vulg. ital. Orig. Iren. obviam, quae et ipsa in aliquot codicibus *Protevangelii* invenitur.

Mt. I, 21. καλέσεις lectionem *Protevang.* capite XI, p. 216. confirmat contra καλέσει, καλέση, καλέσουσιν.

Mt. III, p. 16. ἐπ' αὐτόν recte tuetur *Descens. ad inferos* XVIII. p. 682. invitis CE* aliisque qui πρὸς αὐτόν, et D* qui εἰς αὐτόν habet.

Mt. XXVII, 16. ad impugnandam lectionem Ἰησοῦν Βαραββᾶν nuper graviter commendatam valet *actorum* Pilati auctoritas IX, p. 566, ubi a nullo teste Ἰησοῦν additur.

Mt. XXVII, 42. πιστεύσομεν recte a plerisque legitur, quod confirmatur *Act.* Pil. X, p. 584. contra lectionem πιστεύομεν. Praeterea πιστεύσωμεν, quod ex codd. Lucae notatur, etiam in *Actis* Pil. a nonnullis praebetur.

Mt. XXVII, 64. κλέψωσιν αὐτόν lectio omisso νυκτός confirmatur *Act.* Pil. XIII, p. 608. Ibidem memoratu dignum est in *Actis* legi μαθηταί sine αὐτοῦ, quemadmodum apud Matthaeum in solo cod. B. legitur.

Mt. XXVIII, 3. et ὡς χιών et ὡσεὶ χιών legitur: ὡς a gravibus testibus exhibitum confirmant aliquot codices *Actorum* Pil. XIII, p. 688, sed plures ὡσεί tuentur.

Mt. XXVIII, 6. ἠγέρθη γάρ lectionem sustinent *Acta* Pilati XIII, p. 610. contra Δ aliosque multos qui γάρ omittunt. Idem vero etiam codices aliquot omittunt. Ibidem *Acta* Pil. ὁ Κύριος tuentur plurimis probatum testibus, sed pauci qui omittunt videntur verum tenere.

Mt. XXVIII, 7. ἀπὸ τῶν νεκρῶν verba retinent eadem *Acta* invito D codice cum aliquot versionibus et patribus. Ibidem eadem ἰδού prius tuentur contra D aliosque testes.

Mt. XXVIII, 12. lectio haud mala *ἀργύριον ἱκανόν* commendatur *Act.* Pil. XIII, p. 614.

Mt. XXVIII, 14. lectio fluctuat inter *ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος* et *ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος*: *ὑπό* cum BD aliisque testibus *Acta* Pilati XIII, p. 614. tuentur, sed dissentientibus aliquot codicibus.

Luc. I, 36. *συγγενίς* lectio stabilitur eo quod *Protevang.* XII, 218. eandem formam, Polluci III, p. 30. *ἐσχάτως* barbaram dictam, tuetur: *πρὸς τὴν συγγενίδα. Συγγενής* igitur non tam ex frequentissima confusione litterarum *ι* et *η* ortum videtur quam ex emendatione hominis graeci.

Luc. II, 1. *ἀπογράφεσθαι Protevang.* XVII, p. 234 confirmat contra *ἀπογράψασθαι*, quod ipsum in unum codicem *Protevangelii* irrepsit.

Luc. II, 35. *καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς* lectio auctoritate *Actorum* Pilati XVI, p. 654. firmatur, codicibus BL et versionibus *δέ* particulam omittentibus. Ibidem *ἐκ πολλῶν* tuentur eadem contra D aliosque testes omittentes *ἐκ*.

Luc. XXIII, 42. *ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.* In his memorabile est quod cum codicibus DQ apud Lucam testes aliquot in *Actis* Pil. X, p. 589. *ὅταν ἔλθῃς* omittunt. Lectionem vero *ἐν τῇ βασιλείᾳ* confirmant eadem contra BL aliosque *εἰς τὴν βασιλείαν* tuentes.

Luc. XXIII, 34. ad tuenda verba gravibus testibus omissa: *ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔλεγεν Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασιν τί ποιοῦσιν*, facit quod eadem in *Actis* Pil. X, 584. leguntur. Sed non defu-

turos suspicor, qui *ex Actis* in LUCAM illata putent.

Luc. XXIII, 43. Hunc versum antiquis suspectum (omiserunt MARCION teste EPIPHANIO et Manichaei teste CHRYSOSTOMO, alii apud ORIGENEM pro spurio habuerunt) tuentur et *Acta* PILATI X, p. 588. et *Descens. ad inferos* XXVI, p. 772.

Altero loco ejusmodi lectiones apocryphorum videamus, quae in canonicis, quamvis ex parte vehementer commendatae, repudiandae sunt aut videntur esse.

Mt. II, 8. praestat ἐξετάσατε ἀκριβῶς quam ἀκριβ. ἐξετάσ. Sed etiam *Protevang*. XXI. ἀκριβῶς ἐκζητήσατε tuetur.

Mt. II, 9. ἐστάθη quam ἔστη malo; sed etiam *Protevang*. l. l. posterius habet.

Mt. XXVII, 34. praefero οἶνον μετὰ χολῆς; sed *Descens*. XX, p. 708. commendat id quod plerumque legitur, quum diabolus dicat: καὶ ἐπότισαν αὐτὸν καὶ χολὴν μετὰ ὄξους. Item *Act*. PIL. X, p. 584. ὄξος μετὰ χολῆς legitur, sed ibi — quod e contextu clarissimum fit — LUCAM non MATTHAEUM auctor sequitur. Confudit is igitur utrumque; ex qua eadem confusione lectio ὄξος μετὰ χολῆς apud MATTHAEUM orta videtur.

Mt. XXVIII, 4. ἐγενήθησαν ὡς νεκροί legendum videtur, sed *Acta* PIL. XIII, p. 608. eo quod habent ἐγενόμεθα ὡσεὶ νεκροί commendant vulgarem lectionem ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροί.

Mt. XXVIII, 7. pro verbis ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν *Acta* PIL. XIII, p. 610. habent καθὼς εἶπεν ὑμῖν, quae

cum eo conveniunt quod latini quidam testes apud Mt. offerunt: *dixit* vel *praedixit* pro εἶπον.

Luc. II, 26. pro πρὶν ἢ ἴδῃ *Protevang.* cum paucis quibusdam Lucae testibus habet ἕως ἂν ἴδῃ.

Luc. XXIII, 36. ἐνέπαιξαν nescio an praeferam vulgato ἐνέπαιζον, quod et ipsum in *Actis* Pil. X, p. 584. legitur.

Luc. XXIII, 40. Οὐδὲ φοβῇ σύ lectio certa est. Sed *Acta* Pil. X, p. 588. cum paucis quibusdam Lucae codicibus Οὐδέν pro Οὐδέ tenent.

Luc. XXIII, 46. legendum est παρατίθεμαι. Contra testes *Actorum* Pil. XI, p. 592. vel παρατίθημι vel παραθήσομαι tuentur, quod utrumque multis etiam testibus Lucae placuit.

Luc. XXIII, 45. καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος lectio satis certa videtur. *Acta* vero Pil. XI, p. 590. τοῦ ἡλίου σκοτισθέντος habent, quod ipsum apud Lucam in Syra posteriore est, quemadmodum etiam testes multi et graves τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος malunt. De quo paullo post vide. Eodem loco v. 44. *Acta* Pilati l. l. lectionem vulgarem ἦν δὲ ὡσεὶ (sive ὡς) ὥρα ἕκτη tuentur, quum praestare videatur καὶ ἦν ἤδη ὡσεί etc.

Denique huc inprimis pertinent quae ad Luc. II, 44—53. composita in *Evang.* Thomae XIX. leguntur, quod totum etsi ab auctore profectum negavimus, tamen ab antiqua manu scriptum esse testatum est (vide supra). Ibi vero haec invitis optimis Lucae testibus leguntur: ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι pro εἶναι ἐν τῇ συνοδίᾳ v. 44, ἐζήτουν et ζητοῦντες pro ἀνεζήτουν et ἀναζητοῦντες vs. 44. 45,

ζητεῖτε pro ἐζητεῖτε et οἴδατε pro ᾔδειτε vs. 49, ἰδοὺ ὀδυνώμενοι omissis ὁ πατήρ σου κἀγώ vs. 48, quod ut ex ingenio videtur esse *evangelii* Thomae, aegre ferentis Josephum dici Jesu patrem, ita anxietatem catholicae fidei prodit.

Tertio loco aliquid exemplorum addam ubi textum sacrum interpolationem ex apocryphis passum esse probabile est.

Luc. I, 28. verbis: χαῖρε κεχαριτωμένη· ὁ Κύριος μετὰ σοῦ· plerumque additur: εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν. Haec vero quum omittantur a codd. BL aliisque, item versionibus aliquot et Johanne Damasceno, nec verosimile sit eadem in salutatione et angeli et Elisabetae locum habuisse, a textu omnino arcenda sunt. Intrusa autem sunt nisi fallor ex *Protevangelio*, in quod ipsum auctor ex Luca I, 42. transtulit. Namque *Protev.* XI. non dubito quin legendum sit: χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, quamquam postrema desunt in cod. Venet. XX. class. XI. rursusque cod. Paris. D. Thilonis etiam καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου addit. Nimirum εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν verba teste Luca Elisabetae *Protevangelium* ut ad angeli salutationem traxit, ita Elisabetae detraxit. Capite enim XII. ex auctoritate testium fere omnium (ad Thilonis testes adde codicem Venet. Suckovii et duos Venetos alios) omittenda sunt. Unde apparet, *Protevangelium* in unum conjunxisse χαῖρε usque σοῦ et εὐλογημένη usque γυναιξίν. Id quod plane de more suo fecit; simillimam enim rationem ha-

bent quae cap. XI angeli verba Mariam secundum alloquentis leguntur: δύναμις ὑψίστου usque κληθήσεται et καὶ καλέσεις usque ἁμαρτιῶν αὐτῶν; quorum priora a Luca I, 35, posteriora e Matthaeo I, 21. desumta sunt, ita ut quae apud Matthaeum Josepho et apud Lucam Mariae ab angelo dicuntur, ea in *Protevangelio* in unum coaluerunt.

Porro Luc. I, 35. ἐκ σοῦ ad γεννώμενον additum in *Protevangelio* XI. pro nativo habeo, pro spurio apud Lucam. Utrinque testes variant, sed multo commendatius apud Pseudo-Jacobum quam apud Lucam est; neque apud hunc, quamquam Paulus Heidelbergensis volebat, quisquam recepit nisi quod Lachmannus addidit uncis inclusum. Si verum est (vide De Wettii *commentt.* ad h. l.), illud Matthaei: ἐν αὐτῇ γεννηθέν in caussa fuisse cur in Luca ad γεννώμενον adderetur ἐκ σοῦ: hoc multo magis in *Protevang.* quam in Lucam quadrat; in illo enim ut vidimus tota angeli oratio ex Matthaeo et Luca conglutinata est, ita ut qui componebat propter ἐν αὐτῇ γεννηθέν Matthaei ad Lucae γεννώμενον compensationis caussa ἐκ σοῦ adderet.

Item Mt. XXVIII, 2. verba ὑπὸ τῆς θύρας vel potius ἀπὸ τῆς θύρας τοῦ μνημείου post προσελθὼν ἀπεκύλισεν τὸν λίθον ex *Actis* Pil. XIII, p. 608. illata esse suspicor. Apud Matthaeum quidem ad auctoritatem testium qui omittunt accedit quod lapis sepulcri, nude ὁ λίθος dictus, duobus versibus ante commemoratur, ita ut statim post et scriptori et lectoribus adhuc ante oculos versetur. Longe vero aliter est in *Actis*, ubi illa

verba aptissime adduntur. Aliis fortasse Matthaeus h. l. e Marc. XVI, 8 interpolatus videbitur. At locus *Actorum*, non item Marci locus, plane geminus est loco Matthaei.

Luc. XXIII, 45, de quo loco jam vidimus, singularis lectio eaque fulsa testibus alias optimis est: *τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος*. Ea nescio an inde orta sit quod Judaei in *Actis* Pil. XI, p. 592. solem obscuratum ab eclipsi solis (*ἔκλειψις ἡλίου*) explicant. Neque vero qui verba *τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος* adscripsit Lucae, cum illis Judaeis fecisse putandus est; in illis enim gravissimum est quod *κατὰ τὸ εἰωθός* solem defecisse dicunt.

Denique paucis tangenda est quae de extremis evang. Marci versibus difficilis quaestio est. Leguntur enim in *Actis* Pil. XIV, p. 618 sqq. versus 15—18. Inde ut alii subsidium tuendae authentiae totius extremi capitis Marci petere, alii certe summam versuum suspectorum 9—20 antiquitatem probare possunt: ita nec deerunt quibus ex *Actis* Pil. vel potius ex fontibus horum *Actorum* Marcus videatur interpolatus. Cum his quos ultimo loco posui, si quis facere voluerit, docere poterit tres fere illorum versuum *'Αναστάς* usque *ἀμήν* partes esse, quarum prima Domini apparitiones 9—14, secunda ultimum mandatum ac vale 15—18, tertia assumtionem contineat. Jamvero de his totam secundam ex ipsis *Actis* ab interpolatore Marci desumtam dicere, non ineptum est. Sed ut mittamus quae in diversas partes disputari possunt: memorabile hoc est,

lectiones variantes ad MARCI textum notatas, easdem in *Actis* nostris inveniri. Ita *vs.* 15 MARCI τὸ εὐαγγέλιον in edito quidem *Actorum* textu deest, sed invenitur in cod. Ven. CLI. class. II. et in Paris. B. *Versu* 16 apud MARCUM plerumque est ὁ πιστεύσας, sed D*** praemittit ὅτι; in *Actis* vero vulgare est ὅτι πιστεύσας, sed omittunt ὅτι MONAC. B et AMBROS. A. 56. *Versu* 17 apud MARCUM plerumque legitur ταῦτα παρακολουθήσει, in cod. L aliisque ἀκολουθήσει ταῦτα; in *Actis* vero editum est ἀκολουθήσει ταῦτα, sed cod. AMBROS. A 56 habet: ταῦτα παρακολουθήσει. *Ibidem* apud MARCUM est ἐκβαλοῦσιν et λαλήσουσιν, sed cod. D habet ἐκβάλλουσιν et λαλήσωσιν; editio *actorum* consentit cum edito textu MARCI, sed ἐκβάλλουσιν est in cod. AMBROS. A. 56. et λαλήσωσιν in cod. BIRCHII (cf. *Auctarium* etc. *Prolegg*. p. XLIII). *Versu* 18. vulgata lectio apud MARCUM est ὄφεις ἀροῦσιν, sed CLΔ aliique testes multi praemittunt καὶ ἐν ταῖς χερσίν; in *Actis* edita lectio est καὶ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν ὄφεις ἀροῦσιν, sed AMBROS. A. 56 et MONAC. B tantum ὄφεις ἀροῦσιν praebent. Praeterea utrinque testes inter βλάψῃ et βλάψει fluctuant.

§. 10.

Atque haec quidem de usu evangeliorum apocryphorum critico satis sunto, quem et expeditiorem et certiorem fore ubi novos labores criticos nacta et cum perfectiore apparatu critico edita fuerint, in promtu est.

Pergendum autem est ad alterum usum critico proximum, exegeticum dico. Qui quum multo magis quam criticus usus omnes Novi Testamenti libros spectet, non ex solis evangeliis petenda erunt quibus demonstretur. Tres vero potissimum ille modos habet, quum vel ad sermonem canonicorum librorum subtilius cognoscendum, vel ad res quae ibidem tractantur illustrandas vel ad traditionem quam vocant exegeticam pertineat.

Primum igitur de sermone apocryphorum evangeliorum et quidem graece scriptorum videndum est; Novo Testamento tam affini ut praeter LXX interpretes et apocryphos Veteris Testamenti libros nil propius ad peculiaritatem ejus accedat. Quum enim ne centum quidem annos apocryphi libri post canonicos editi sunt, tum commune hoc habent quod a viris natione Judaeis graece scribentibus neque vero subtili dicendi arte pollentibus compositi sunt. In utrisque igitur Alexandrina quam dicunt dialectus frequens est, vel potius, ut rectius dicam, vulgare illud graece loquendi genus, quo circa Christi aetatem per Aegyptum, Palaestinam, Syriam, Asiam minorem atque his proximas terras uti solebant, nisi quod in his Christiani argumenti scriptis eminet hoc quod permulta hebraeo sermoni propria in graecum translata sunt.

Sed in hanc rem repetendum est id quo criticam evangeliorum apocryphorum utilitatem imminui modo diximus. Tot enim vicissitudi-

nes antiquissimus eorum textus sensim subiit ut verendum saepe sit ne quod interpolatoribus sequioris aevi debetur, ad ipsos auctores referamus. Quod quum verissimum sit, tamen nec hoc dissimulandum est, multo plura in his libris, quod idem fere in sacris libris accidit, mutata esse saeculo secundo tertio quarto quinto quam posteriore tempore, cui nescio an nil praeter librariorum vitia debeatur. Ex his sequitur non tam a textu quoquam edito quam a probatissimis codicibus proficiscendum esse, si sermonem apocryphorum evangeliorum cum Novo Testamento componentes hoc ex illis cum probabilitatis specie illustrare volumus. Quod laudabiliter absolvere quum pateat quam difficile sit pro imperfecta apparatus critici a Fabricio, Thilone aliisque propositi ratione, nobis in eo acquiescendum erit ut idoneis aliquot exemplis demonstremus quem ulteriora et subtiliora studia eventum habitura sint.

Progrediamur autem ita ut inter id quod grammaticum et id quod lexicale in scholis dicitur distinguamus. Illud quod attinet, quum de formatione tum de syntaxi dicendum est.

In formationis doctrina haud pauca circa *nominum declinationem* et *verborum conjugationem* scriptis his cum Novo Testamento communia sunt. Ita utrinque par est declinatio nominis Ἰησοῦς (τοῦ Ἰησοῦ, τῷ Ἰησοῦ etc.). Nomina propria in ας genitivum in α habent, ut Ἄννα (cf. *evang.* Thom. III.) et Καϊάφα (cf. Thil. p. 652).

Nomina propria hebraea plurima non declinantur ut apud Josephum: Ἄδαμος, Ἴσακος etc., sed ut in Novo Testamento quemadmodum sunt servantur, ut Ἀδάμ, Ἐνώχ, Σήθ etc. Huc pertinet etiam Σατᾶν (ὁ Σατᾶν p. 706 τὸν Σατᾶν p. 728.) quemadmodum plerumque in *Descensu* Christi legitur (aliquoties tamen ὁ Σατανᾶς, τοῦ Σατανᾶ etc. ut 714.) ac semel in Novo Testamento II Cor. XII, 7. editum est. Inter dativum γήρει et γήρᾳ codices *Protevangelii* fluctuant ut apud Luc. I, 36; sed in utroque testatius est γήρει. Accusativus κλεῖδα cf. Thil. pp. 604, 642. cum Luc. XI, 52. convenit. Altero loco *Actorum* Pilati codices aliquot κλεῖδας ut Matth. XVI, 19. offerunt. Praeterea utrinque in manuscriptis (potius quam editis) accusativi III. declin. in α exeuntes addito ν inveniuntur, ut εἰς τὸν ἀέραν *evang.* Thom. *Sinait.* p. 52, τὸν παῖδαν ibidem, λαμπάδαν cod. Par. in *Protev.* VII p. 200. μείζων ἁμαρτίαν *Act.* Pil. IX. cod. Venet. Cf. ad haec Wineri *Grammat.* p. 76. et Nov. Test. ed. Tischendorf. 1849, p. XXIV. Genitivus βαθέως, ut Luc. XXIV, 1, invenitur *Act.* Pil. cod. Venet. CLI. class. II: ὄρθρου βαθέως. Cum τετράρχης et similibus conferri potest τοπάρχης *Act.* Pil. prooem. cod. Ven. Sed p. 592. est ἑκατόνταρχος ut Mt. XXVII, 54. et alibi. Consentiunt etiam in τὸ ἔλεος cf. p. 686. et similibus.

In *verborum conjugatione* altera augmentum spectant, altera insolentiores temporum formas. Augmentum fluctuans utrinque est in εὐλόγησας

et ηὐλόγησας, εὕρισκε et ηὕρισκε, ἔμελλον et ἤμελλον, ηὐχαρίστευσε et εὐχαρίστευσε etc. Passim duplicatur ut ἐκατεκρίθη cod. Ven. LXXXVII. class. II. Cf. in Novo Testamento ἀπεκατεστάθη et ἠνεσχόμην. Haud raro in pluribus codd. prorsus negligitur, ut ὁμοιώθην et ὀνειδίσθην (cf. *Protevang.* III. ed. Suckov.), οἰκονομήσατε τὸν φόνον αὐτοῦ, ὅτι πολλοὺς σὺ ἑτοίμασας, ὀλόλυξαν (*Protev.* ed. Suckov. p. 76.) ὀγκοῦτο (cf. ibidem p. 34.). Cf. in Novo Testamento ὁμοιώθημεν, οἰκοδόμησεν, καταισχύνθη etc. ed. Tisch. p. XXIV (28). In temporum formatione usitatissimi sunt aoristi II. cum terminatione primi ut εἶπα, εἴπαμεν, εἴπατε, εἶπαν; ἤλθαμεν, ἤλθατε; εὕραν (cf. p. 634), ἔπεσα (cf. p. 644.), εἴδαμεν; ἀφείλατο (sic *Protevang.* VI. cod. Ven. et alii), περιείλατο (ut *Protevang.* II). Adde imperativum ἀπέλθατε cf. p. 614. Item aoristus II. haud raro terminationem in οσαν habet, ut ἤλθοσαν *Protevang.* XXI. cod. Paris B; ἀπήλθοσαν *Protevang.* X. cod. Vatic. Persona II. futuri pro η passim ει habet, ut βούλει cf. Thil. p. 516. (sed alibi etiam βούλῃ habetur), συλλήψει bis in *Protevang.* cod. Ven. cf. ed. Suckov. p. 11 et 31. Item aliquoties obvia est in mss. pers. II. aor. I. in-ες pro-ας, ut ἀπέστειλες cod. Ven. CLI. class. II. ad. *Act. Pil.* p. 508: item ἐγνώρευσες cod. Par. p. 737; de qua forma vide Lachmann. Nov.

---

(28) Notabilis est etiam forma particip. perf. pass. ἐμνηστευμένη *Protev.* XIX. cod. Par. C. p. 245. quacum confer N. T. ed. Tischend. p. XXV in textu et nota 1.

Test. p. XLII. in nota et Tischend. Nov. Test. p. XXV. nota 3. Tertia persona pl. perf. passim in-*αν* exit pro-*ασιν*, cf. *οἶδαν γὰρ οἱ Protevang.* XVII in cod. Ven. Inveniuntur imperativi *ἀπόστα* ut *Protevang.* II, *ἀνάστα* text. Sinait. 52, *κατάβα* (*καταβάτω* p. 584.) et *μετάβα* in codicibus. De quibus formis omnibus in Novo Test. cf. ed. Tisch. *Prolegg.* pag. XXV.

Porro de *verbis defectivis* multae formae, fere non adhibitae nisi posterioribus Graecis, in Novo Testamento usurpantur, quae etiam in evv. apocryphis nostris usurpari solent. Ejusmodi sunt *ἤνοιξα* apud Thil. p. 308. 604. 612. 776; sed 668. 670 est *ἠνεῳγμένα* et *ἠνεῳγμένοι;* item *οἶδα*, *οἴδαμεν* etc. p. 188. 636. item *ἥμαρτεν*, *ἡμάρτομεν* etc. p. 512. 636; *ἦλθεν* etc. saepissime; *ἀκούσω* p. 646; *ἔπαιξε* p. 296. et *ἐνέπαιξαν;* *ἔκραξα* p. 558. *κράξασα Protevang.* XII. *ἀνέκραξε* p. 280; *ἐγενήθη Protev.* XIX. p. 246; *κατήρχοντο evang.* I. Thom. *Sinait.* p. 51; *ἤμην* p. 560. et alibi saepe; *ἐκαθέσθη*, *ἐκαθέσθησαν* p. 642. 652. 658; *ἀπελεύση* p. 284. et alia multa, de quibus explicuit Winerus *Gramm.* p. 92 sqq.

Etiam de *orthographicis*, quae ad formationis doctrinam pertinent, plura ex. codd. antiquis peti possunt utiliter conferenda cum Novi Testamenti codicibus, ut *ἔνατος*, *ἄραφος*, *συλλήνψιν* (ita cod. Ambr. A 61 in *Protevang.* initio). Sed quum nulli codices apocryphorum evangeliorum parem cum codd. N. T. Alexandrino, Vaticano, Ephraemi Syri, Cantabrigiensi similibusque antiquitatem habeant, idem in illis accidit quod

in Novi Testamenti codicibus plerisque observatum est, ut librarii pristinam scribendi rationem cum recentiori commutarent.

Ad *syntaxin* transeamus, quae innumeris locis et modis componenda est cum Novi Testamenti libris. In universum eadem fere est periodorum simplicitas, in qua prae ceteris eminet frequentia enunciationum per καί conjunctarum. Frequentissimum est participium cum εἶναι junctum, ut κεκμηκὼς ἤμην *Protev.* XV. p. 228: ἦν φυλάττων αὐτούς ibidem XXII: ἦν τὸ ὄρος φαῖνον αὐτοῖς καὶ ἄγγελος ὁδηγῶν αὐτούς ibidem XXII. Cf. Mc. I, 36. et alibi saepe. Multa in utrisque conferri possunt quae similem articuli usum testantur (cf. Thilo p. 164 sq. et 169); τό praemittitur enunciationibus (cf. οὐ θαυμάζετε τὸ πῶς codd.; λέγοντες τὰ γεγονότα, τὸ πῶς p. 608; cum Luc. IX, 46. XXII, 2); pronomina ἐγώ et σύ etc. saepe ponuntur ubi nullam gravitatem habent; frequentissimus est usus genitivorum pronominis reflexivi αὐτοῦ et αὐτῶν; pronomina relativa modo attrahuntur (ut p. 220. μυστηρίων ὧν εἶπε), modo non attrahuntur; pronomen demonstr. saepe gravitatis caussa in apodosi ponitur, item τοῦτο praemittitur ubi sequitur ἵνα aut ὅτι; τί et ἵνα τί saepe *cur* significant; καί consecutivum quod dicunt frequens est (ut παράδος κἀγὼ διδάξω *evang.* Thom. *Sinait.* p. 52. Mc. I, 17); nominativus pro vocativo ponitur (p. 742, Χριστέ, σωτήρ); πᾶς οὐ et οὐ πᾶς etc. pro οὐδείς ponuntur; sibi invicem opponuntur εἷς et εἷς (p. 238 ἕνα κλαίοντα καὶ

ἵνα γελῶντα); nomina neutra num. plur. cum plurali verborum componi solent; substantivum pro adjectivo et quidem abstractum pro concreto gravitatis caussa ponitur, ut μήπως κατάγελως γένωμαι *Protevang.* IX; κατάρα ἐγεννήθην ibidem III. cf. GAL. III, p. 13. Quae cum similibus multis quum non ejusmodi sint quae prae ceteris peculiaritatem Novi Testamenti significent, h. l. non accuratius tractanda sunt. Graviora vero haec videntur:

Ἓν et εἷς locum pronominis indefiniti tenent, ut *evang.* THOM. *Sinait.* p. 51. et p. 52. Cf. Jo. VI, 9. Mt. VIII, 19.

Frequens est infinitivus praemisso articulo τοῦ, ut κατέβη τοῦ περιπατῆσαι *Protev.* II; ἔστησεν αὐτὴν τοῦ πειράσαι *Protev.* VI; ἀμβλύναντα αὐτοὺς τοῦ φαίνειν ibidem XXI; ἀπέκλεισε -- τοῦ μὴ δοῦναι ibidem II. cf. WINER. *Gramm.* p. 376 sqq. Item legitur τὸ ἐλθεῖν pro ὥστε ἐλθεῖν pag. 730. cf. WINER. l. l. p. 375.

Ἵνα conjunctio propria sua vi destituitur, ut θέλομεν ἵνα εἴπῃς p. 684; θέλομεν ἵνα ὀμόσητε p. 760; βουλόμεθα ἵνα σταυρωθῇ p. 546; θέλω ἵνα γένησθε *evang.* THOM. *Sinait.* p. 41. (cf. WINER. l. l. p. 390. sub c.).

Conjunctiones ἵνα, ἐάν, ὅταν non cum iis modis construuntur quibuscum apud Graecos antiquos inveniuntur. Ita ἵνα non modo cum futuro, ut ὑπάγουσιν ἵνα σταυρώσουσιν *Act.* PIL. cod. Ven. CLI. cl. II., ἵνα φονεύσουσιν ibidem cod. idem, θέλομεν ἵνα σταυρώσεις αὐτόν ibidem cod. AMBR. A 56, ἵνα ὅστις etc. σωθήσεται apud THIL. p. 682;

sed etiam cum indic. praes. legitur, ut ἵνα λαμβάνει *Act.* Pil. cod. Ven., ἵνα σπείρει *evang.* Thom. XII. codd. Cf. Jo. XVII, 3. Gal. IV, 17. Item ἐάν cum futuro legitur ut ἐὰν ὑβρίσει *Act.* Pil. cod. Ven. Cf. Luc. XI, 12. et ὅταν cum indic. aor. I, ut ὅταν ἀπέστειλές (vide supra) με *Act.* Pil. cod. Ambros. C. 92, ὅταν φωνὴ ἐξῆλθεν ὑπὸ ἀγγέλου et ὅταν ἀπέστειλεν ὁ θεός ibidem cod. Venet. LXXXVII. class. II. Cf. Marc. XI, 19 et alibi (29).

Modi diversi continuo se excipientes construuntur, ut μήπως οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψωσιν αὐτὸν καὶ πλανήσουσιν τὸν λαόν Act. Pil. XI. cod. Ven. LXXXVII. class. II., item ὅπως μὴ καταράσηται αὐτὸν καὶ ἔσται ἀνάπηρος *evang.* Thom. p. 296. Cf. Mt. VII, 6. et alibi.

Genitivi absol. negligenter observantur, ut γενομένου δὲ αὐτοῦ ἐτῶν ς' ἀπέστειλεν αὐτὸν Μαριάμ *evang.* Thom. *Sinait.* p. 53. Cf. Luc. XVIII, 49. XVII. 12.

Nominativi absoluti saepe adhibentur, ut καθίσας ὁ Ἰωσήφ, ἔστη τὸ παιδίον *evang.* Thom. *Sinait.* p. 52; ποιήσας λάκκους, κατήρχοντο ibidem p. 51; πορευόμενος δέ, συνετρίβη ἡ ὑδρία ibidem p. 53. Cf. Mc. IX, 20.

Constructiones ad sensum inveniuntur ejusmodi: τὸ δὲ παιδίον πονέσας *evang.* Thom. XIV. codd.; νοσῶν τι νήπιον ibidem XVII. codd.; ἀρξάμενος τὸ παιδίον *evang.* Thom. *Sinait.* p. 52. Cf.

(29) Simile est quod ἕως πότε utrinque cum indicativo ponitur loco futuri, ut ἕως πότε ταπεινοῖς *Protevang.* II; ἕως πότε αἴρεις Jo. X, 24.

Jo. VI, 9. Mc. IX, 9. (Vide Nov. Test. ed. Tischendorf. p. XXVI).

Participium passim negligenter pro temp. finit. ponitur, ut γράψας δέ καὶ λέγει *evang*. Thom. *Sinait*. p. 52. Idem passim in cod. Cantabrig. Novi Testamenti obvium est.

Aoristus futuri significationem habet in assertione certissima, ut καὶ ταῦτα οὐκ ἐποίησα *Protev*. II. Cf. Jo. XV, 6.

Εἰ in interrogatione directa ponitur, ut *evang*. Thom. *Sinait*. p. 52. Cf. Mt. XX, 15. Lc. XIII, 23.

Inprimis frequens est praepositionum usus; quemadmodum quod apud antiquiores in casu accurate posito, maxime dativo et genitivo, inerat, posteriores Graeci saepe praepositionibus expresserunt. Usum hebraeum praepositio in his redolet: καθαρός εἰμι ἐξ αὐτῆς *Protevang*. XV, οὐ μὴ κρύψω ἀφ' ὑμῶν *Act*. Pil. XV, ἔκρυβεν ἑαυτὴν ἀπὸ τῶν υἱῶν *Protevang*. XII. Cf. Lc. X, 21. *Act*. XX, 26. Mt. XVII, 24. Quibus exemplis alia multa addi possunt; in singulari enim praepositionum usu plura hebraismorum genera distinguere licet. Praepositiones εἰς et ἐν ita ponuntur ut altera alterius vicem sustinere videatur, de qua re vide Winer. *Gramm*. p. 490 sqq. Ita οὐκ ἔστιν ἡμῖν τόπος εἰς κατάλυμα *Protev*. XVII extr. εἴδομεν τὸν Ἰησοῦν εἰς τὸ ὄρος *Act*. Pil. XV; ἀνατραφεῖσα εἰς τὰ ἅγια *Protev*. XIII et XIX; ἐξελθὼν ἐν τῷ ἀγρῷ *evang*. Thom. *Sinait*. p. 53; ἄγαγέ με ἐν τῇ πύλῃ *Descens*. XXVI; ἀπάξωμεν αὐτὴν

ἐν τῷ ναῷ *Protevang.* VII; εὗρον δὲ τὸν Ἰωσὴφ εἰς Ἀριμαθαίαν *Act.* Pil. p. 634. Cf. Mt. II, 23. Mc. XIII, 16. Per pleonasmum praepositio cum adverbiis componitur in his: ἀπὸ μακρόθεν, ἀπὸ ἄνωθεν *Descens.* XVIII, p. 682; *Protevang.* XXIV. Cf. Mc. V, 6. Mt. XXVII, 51.

Inter hebraismos numerari solent formulae: θρήνους ἐθρήνει *Protev.* p. 172; κοπετοὺς ἐκόπτετο ibidem, quales frequentes in Novo Testamento et apud LXX sunt. Notabilis vero prae aliis multis hebraismus est ex quo nomini substantivo alteri alterum apponitur casu genitivo, quod adjectivi vicem gerit, ut ἄνδρες εὐπορίας *Act.* Pil. XV, p. 630; ἄνδρες εἰρήνης ibidem codd. Cf. Luc. XVIII, 6.

Ab hoc grammaticali sermonis genere ad *lexicale* pergendum est. In eo quatuor potissimum distingui possunt modi quibus graecus apocryphorum evangeliorum pariter ac Novi Testamenti sermo ab antiquorum Graecorum lege atque usu discedit. Quum enim vocum jam antiquis receptarum novas formas adhibet, tum pristinum earum significatum mutat, tum novis vocibus utitur, tum locutiones ab indole veterum Graecorum linguae alienas adamat. De quibus singulis breviter dicemus.

Novae formationes mutata terminatione fiunt. Tales *verborum* formationes maxime conspicuae sunt in verbis in ίζω (antea plerumque in εύω ut ὀρθρεύω, αἰχμαλωτεύω) desinentibus, ut ὀρθρίζω (ὀρθρίσαντες apud Thil. p. 604), πελεκίζω (*ev.* Thom.

Sinait. p. 53. πελεκίσας), καθωθίζω (ibidem καθωθιαἰχσθέν), μαλωτίζω (apud Thil. p. 200 et alibi; sed est etiam ἠχμαλώτευσε p. 222), παραδειγματίζω (ibidem p. 250), καθαρίζω (passim). *Nomina* vero *substantiva* terminationes assumunt -σύνη, ut ἀσχημοσύνη (*Protevang.* XXVII), χηρωσύνη (ibidem II. codd. Ven. et Par.), μεγαλωσύνη (Thil. p. 740); vel -ότης, ut ἰσότης (*ev.* Thom. *Sinait.* p. 53) μεγαλότης (p. 505. Par. D); vel -μα, ut ἁγίασμα (p. 194, 202), κατάλυμα (p. 240), ὁλοκαύτωμα; vel -σία, ut ἑτοιμασία (p. 308); vel -της, ut δουλευτής (p. 665). Frequenter formantur substantiva in -ήριον, ut θυσιαστήριον (p. 264, 268), ἁγιαστήριον (p. 192). Diminutiva placent, ut ὠτίον (*ev.* Thom. *Sinait.* p. 52. et alibi). Novae formationis est etiam οἰκοδομή (p. 210, 312), item δαφνηδαία (*Protev.* II. codd.), item συγγενίς (p. 218). Quae ipsa pleraque cum similibus multis in Novo Testamento inveniri in promptu est.

Porro novos significatus acceperunt haec: δοξάζειν, quo sensu est celebrare, εὐλογεῖν bene precari, item de Deo, donis gratiae augere; ἀποκριθῆναι respondere; εὐχαριστεῖν gratias agere: quae omnia et in apocryphis nostris et in canonicis persaepe occurrunt. Item ἀνακλιθῆναι de accumbentibus mensae (ἀνεκλίθησαν p. 658. Cf. Luc. XIII, 29. VII, 36), παρακαλεῖν precari (παρακαλῶ σε p. 292. In Novo Testamento saepe); ζωῶσαι (*evang.* Thom. *Sinait.* p. 52) et ἀναζωῶσαι (ἀνεζώωσε p. 708,) vivificare; ἐπισκέπτεσθαι de Deo: (p. 170. cf. Luc. I, 68); παράκλησις consolatio (διὰ τὸ μὴ ἔχειν παράκλη-

σιν ἐν τῷ λαῷ. p. 526. Cf. Rom. XV, 4. etc.); οἰκονομεῖν latiori sensu (ut p. 730. ubi cf. Thilonis notas); ἐκδῦσαι i. q. σκυλεῦσαι (ibidem); συναναστρέφεσθαι conversari (p. 704. Cf. ἀναστρέφεσθαι I Petr. I, 17. et alibi); φθάνειν simpliciter: attingere (*evang*. Thom. *Sinait*. p. 53. φθάσας τὸ ὄγδοον ἔτος. Cf. II Cor. X, 14.); ἀντιλογία de iis qui renituntur (p 208. Cf. *epist*. Jud. 11); αἰχμαλωτίσαι, αἰχμαλωτισθῆναι usu metaphorico (*Protev*. VII. et XIII. Cf. 2 Tim. III, 6. Rom. VII, 23); ἐξηχεῖν desipientem reddere (cf. ἐξήχει με p. 294.); βρῶμα et πόμα sensu translato (*Protevang*. I. Cf. Jo. IV, 34.) (30). Maxime vero huc pertinent voces quae sensus atque ideas significant Christianae doctrinae proprias, ut πνεῦμα, πνεῦμα ἅγιον, πνευματικός (*Protevang*. XXV. cod. Vat. Cf. Gal. VI, 1), οἱ ἅγιοι (p. 746), ὁ κόσμος (p. 770. Cf. Jo. IX, 5), πίστις, πιστεύειν, ζωή, ἀνάστασις, ἀναστῆναι, λύτρον (*Protevang*. VII. Cf. Mt. XX, 28. etc.), λυτροῦσθαι (p. 638. Cf. Luc. XXIV, 21.), δικαιοσύνη, δικαιοῦσθαι: quae omnia in his scriptis vel similiter vel convenienter cum apostolorum scriptis usurpantur.

Deinde novas voces utrisque proprias esse diximus. In his primum locum obtinent quae compositione fiunt pro duarum notionum conjunctione, ut δωδεκάφυλον (p. 166. Cf. Act. XXVI,

---

(30) Θηρεῦσαι insidiari, ut *Protev*. XIII. p. 222 (cf. Luc. II, 54), antiquis non ignotum videtur fuisse. Vide Steph. *Thesaur*. sub hac voce.

7.), δωδεκακώδωνον (p. 204), κεφαλοδέσμιον (p. 174), ἀρχισατράπης, ἀρχιδιάβολος et similia (p. 724. 736. Similia in Novo Testamento haud rara, etsi haec ipsa ibi non sunt), πρωτόπλαστος (p. 684), ἡ περιουσία et μονοούσιος (p. 164. 196. Cf. in N. T. περιούσιος et ἐπιούσιος), ἰσοποιεῖν (p. 304), δεκαδύο (p. 186, 562. Cf. Act. XIX, 7. XXIV, 11), ἐνανθρωπῆσαι (p. 694), ἐναπολειφθῆναι (p. 712). Rursus in iis quae ex compositione novae sunt satis celebrantur eae in quibus praepositio vel auget vim quae in simplici est, ut ὑπερθαυμάζειν (*evang.* Thom. *Sinait.* p. 53. Cf. in N. T. ὑπερπερισσεύειν); vel significantius exprimit id quod simplex significat, ut κατακράζειν (p. 508. Cf. καταδουλοῦν in N. T.), καταπιεῖν (p. 708. Idem passim in N. T.); vel vix aliud momentum habet nisi quod quae in simplici antiqua vis erat, eam a recentioribus minus perspectam testatur; hinc est διαπορεῖσθαι (*ev.* Thom. p. 53. Cf. Luc. IX, 7), ἀποτολμῆσαι (p. 268. Cf. Rom. X, 20), ἀνταποκριθῆναι (p. 288. Cf. Luc. XIV, 6), παραφύλακες (p. 604, 642), προπάτωρ et προπάτορες (p. 716, 778. Cf. Rom. IV. 1).

Porro aliae voces posteriorum inventioni debentur, ut κατάπλωμα (p. 506), κράββατος (p. 304. *ev.* Thom. *Sinait.* p. 53. Saepe in N. T.), ἐπενδύτης (*ev.* Thom. *Sinait.* p. 53. Cf. Jo. XXI. 7), προτομαί (*evang.* Thom. *Sinait.* p. 53. et in *Act.* Pil. p. 516. etc.), ὅρμαστρα (p. 530), τζόχαι (p. 286. in notis), ῥάνκιν sive ῥάνκιον (*ev.* Thom. *Sin.* p. 51. et apud Thil. p. 208), ἡ βαῦδος (ter in *evang.* Thom. *Sin.*

p. 51); *ἐκμυκτηρίζειν* (p. 584. Idem in N. T.), *γυρεῦσαι* (p. 737. cod. Par.), *πληγωθῆναι* (p. 310), *ἀγαλλιᾶσθαι* (*Protevang.* XVII. Cf. Mt. V, 12), *ἰουδαΐζειν* (p. 520); *ἀκρόβυστος* (p. 628. *ἀκροβυστία* in N. T.). In his singulare novitatis genus constituunt voces quae ex latino translatae sunt; quarum alteras apocrypha evangelia cum canonicis communes, alteras sibi proprias habent, ut *κουστωδία* (p 610), *φραγελλῶσαι* et *φραγελλοῦσθαι* (p. 578, 662), *σουδάριον* (p. 648). Item *παλίον* (p. 300), *πουλία* (p. 280), *μανδήλιον* (p. 507. sq. cod. Par.) et (?) *φακιόλιον* (vide Thil. p. 508), *κουρσωρ* (p. 506, 599), *τὸ βῆλον* (? p. 575), *πραίκων* (p. 508), *προτίκτωρ* sive *προτέκτωρ* (p. 490), *σίγνα* (p. 512) et *σιγνοφόροι* (ibidem).

Denique quartum novellae hujus graecitatis genus non tam singulas voces quam locutiones complectitur. Has accuratius indicaturi eligamus quae in hebraismis ponendae sunt. Quorum de numero quum jam aliqua allata sunt de grammatica peculiaritate et de novo vocum antiquarum significatu disputantibus, tum multo plura locutionum nomine comprehensa afferri possunt, quibus perspicuum fit quantopere horum librorum apocryphorum et maxime quidem *Protevangelii* et *Actorum* Pilati auctores graeca quae scribebant ad patrii sermonis modos conformaverint. Haud pauca vero apostolicis scriptis et his plane communia sunt. Ita *σπέρμα ἀνίστημι* (p. 168 *σπέρμα ἀνέστησαν.* Cf. Mt. XXII, 24. Gen. XXXVIII, 8): prolem facere; quemadmo-

dum etiam σπέρμα significat prolem (p. 184. Cf. Jo. VIII, 31. Genes. XII, 7); ἐν γαστρὶ λαμβάνειν (p. 184, 186. Cf. Luc. I, 31. Gen. XXV, 23); ἀνοίγειν τὸ στόμα (p. 308, 642. Cf. Mt. XIII, 35. Jes. LIII, 7); ἐκχέειν αἷμα (p. 638. Luc. XI, 50. Gen. IX, 6); εὑρεῖν χάριν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (p. 216. Cf. Luc. I, 30. Genes. XIX, 19); ἀφελεῖν sive ἀφιέναι (lectio fluctuat) τὰ ἁμαρτήματα (p. 188. Cf. Hebr. X, 4. Mc. XI, 25. Jesai. XXVII, 9); ἄνδρα γινώσκειν (p. 224. Cf. Luc. I, 34. Genes. IV, 1. Sed nec Graeci nec Latini ab hac dictione abhorrent; cf. Callimach. *ep.* 58, 3. Justin. 27, 3); παραδοῦναι τὸ πνεῦμα i. e. mori (p. 592. Cf. Jo. XIX, 30. Psalm. XXXI, 5) παραδοῦναι αἷμα (p. 226. Cf. Mt. XXVII, 4. Deuter. XXVII, 25: sed additur etiam εἰς κρῖμα θανάτου, ut Luc. XXIV, 20); δοῦναι ἐξομολόγησιν (p. 642. Similiter ἐξομολογεῖσθαι Rom. XIV, 11. Jesai. XLV, 23); θάνατον οὐκ ἰδεῖν (p. 756. Cf. Luc. II, 26. Psalm. LXXXIX, 49); τὸ μέρος ἔχειν τινός (p. 554 et 598. Cf. Jo. XIII, 8. Psalm. L, 18). Item huc pertinet ut videtur διατηρεῖν ἐν ἑαυτῷ (p. 302. Cf. Luc. II, 51. Genes. XXXVII, 11), ἐλθεῖν εἰς ὑπάντησίν τινος (p. 778. Cf. Mt. VIII, 34. Genes. XXXIII, 4), κρεμασθῆναι ἐπὶ τὸν τράχηλόν τινος (p. 186. Cf. Luc. XV, 20. Genes. XXXIII, 4). Item καρπός τῆς κοιλίας (p. 218. Cf. Luc. I, 42. Psalm. CXXXII, 11), καρπὸς τῆς δικαιοσύνης (p. 196. Cf. *ep.* Jac. III, 18. Jesai. X, 22), τὸ ἀγαθὸν ἐν ὀφθαλμοῖς ὑμῶν (p. 624. Cf. I Jo. III, 22. Genes. XVI, 6); formula jurandi: ζῇ Κύριος (p. 622, 184 etc. I Sam. XIV, 45. Judic.

VIII, 19. Similiter ζῶ ἐγώ Rom. XIV, 11. Jesai. XLV, 23).

§. 11.

Quam sermonis affinitatem inter apocrypha evangelia et libros canonicos esse probavimus, eandem etiam ad res in utrisque tractatas pertinere diximus. Quod quale sit, aliquot probandum est exemplis.

Quae de angelorum officiis circa Annam et Joachimum in senectute augendos prole narrantur, *Protev.* cap. IV, faciunt ad illustranda quae Matthaeus et Lucas angelorum circa nascentem Christum officia fuisse tradunt.

Quod Luc. I, 25. Elisabeta Zachariae uxor opprobrium suum inter homines eo quod concepisset sublatum dicit, idem Anna Joachimi uxor de se praedicat concepta in senectute Maria. Cf. priora capp. *Protevangelii.*

Quemadmodum Mt. XVII, 5. in transfiguratione Jesu nubes obumbrans dicitur supervenisse eos qui in monte erant, ita de assumtione Christi *Act.* Pil. XVI. p. 658. refert Addas: εἴδομεν νεφέλην ἐπισκιάσασαν αὐτόν τε καὶ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ἐπήρθη ἡ νεφέλη εἰς τὸν οὐρανόν (31).

Quod qui ad Johannem Baptistam in deserto curiosi accedunt potissimum hoc interrogant, sitne ille Elias, Jo. I, 21, item quod Mt. XVII, 10.

---

(31) In promtu est haec *actorum* Pil. verba prope accedere ad *Act.* I, 9, ubi ejusdem rei accuratior descriptio exhibetur.

disciduli de Elia exspectato Messiae praecursore dicunt, confer cum *Act.* Pil. XV. p. 628, ubi similiter Joseph nocte apparentem sibi Christum redivivum alloquitur: »Rabbi Elia."

Cum Mt. XXVII, 18, ubi est Pilatum nosse Judaeos διὰ φθόνον tradidisse Jesum, confer *Act.* Pil. II. p. 534. illud quod defensores Jesu Pilato dicunt: Ζῆλον ἔχουσιν. Ex hoc »zelo" clarum fit, cur Pilatus Jesum Judaeis ad judicandum tradere voluerit. Omnino enim zelus ad vindicandam religionem spectat, videturque hoc inesse in Pilati verbis, posse Judaeos Jesum blasphemiae damnare damnatumque lapidare. Lapidatio enim, quemadmodum in Stephano adhibita est, in tali caussa Judaeis etiam tum concessa fuisse videtur. Hac re, additis iis quae p. 546 leguntur: εἰ δὲ εἰς θεόν, λιθοβολείσθω etc. egregie illustratur Johannis locus: XVIII, 30—32. Ad id enim adnitebantur Jesu accusatores, non ut qualecunque modo morti traderetur, sed ut crucifigeretur Jesus; hinc est quod tanquam »κακοποιόν" tradunt Pilato; quod dicunt sibi non licere »ἀποκτεῖναι"; quod versu 32 est, hoc potissimum modo Jesu de sua morte vaticinium adimpletum iri.

Narratio de Pilati uxore circa Jesum sollicita Mt. XXVII, 19. lucem inde accipit quod *Act.* Pil. II. eadem dicitur θεοσεβὴς et ἰουδαΐζουσα. Haec enim quadrant in feminam »proselytam portae", quales Act. XIII, 50. XVI, 14. σεβόμεναι a Luca nuncupantur.

Quod Luc. XI, 1 sqq. legitur, discipulos Christum rogasse ut ipsos precari doceret: κύριε, δίδαξον ἡμᾶς προςεύχεσθαι etc. nescio an eo illustretur quod *Act.* Pil. XV. p. 646. Joseph dicitur τὰ προςτάγματα recitasse. Quum enim inde appareat obtinuisse apud Judaeos consuetudinem precandi caussa decem mandata dicendi — τὰ προςτάγματα enim de decalogo accipienda esse nullus dubito —, tum in hujus potissimum precationis locum orationem dominicam substitutam esse probabile fit.

Multum disceptatum est de Jo. XXI, 18: ἄλλος σε ζώσει etc. Jam vero quod *Act.* Pil. X. p. 582. Christus dicitur λεντίῳ praecinctus in crucem actus esse, ejusmodi est quod ζωννύειν illud explicet, praesertim quum Johannes v. 19. diserte dicat Christum illis verbis praedixisse ποίῳ θανάτῳ Petrus Deum clarificaturus esset. Crucis vero mortem Petrum passum esse, antiquissima ecclesiae traditio fert (32).

Ad illustrandum locum Mt. XXVII, 52 sq. de sanctis e sepulcris egressis postquam Christus spiritum exhalasset, quum alia multa ad traditionem exegeticam pertineant, quippe quae antiquas ejus loci interpretationes testentur, tum huc pertinet quod illud μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ illustrat. Ea enim potissimum de caussa filii Symeonis resuscitati dicuntur p. 782 ut nuntium de Christi

---

(32) An credibile sit quod de λεντίῳ in his actis refertur, infra quaeretur.

in vitam reditu perferrent: ἐτάχθημεν κηρῦξαι τὴν τοῦ Κυρίου ἀνάστασιν. Hinc Matthaeus illos non ante ingressos esse urbem sanctam refert quam ipse Christus in vitam rediisset.

Quod Mc. VI, 13 item *ep.* Jac. V, 14. de unctione aegrotorum dicitur, confer cum *Descensu* Chr. cap. XIX. p. 688, ubi Sethi verba leguntur: ἀλείψω τὸν ἐμὸν πατέρα καὶ ἀναστῇ ἀπὸ τῆς ἀσθενείας. Qualem unctionem ex ipsorum Judaeorum usu fuisse, Wetstenius cum aliis ad Marci locum satis probavit.

Quibus ad illustrandos evangeliorum locos idoneis pauca addamus quae epistolas spectant.

Quaesitum est quid esset illud: τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν (i. e. νεκρῶν) I Cor. XV, 29. Hoc loco Paulum de baptismo quodam vicario pro mortuis cogitasse, quum Marcionitarum aliorumque haereticorum talem baptismum admittentium exemplo, tum iis probabile fit quae ab Justino Martyre, Tertulliano atque ipso ut videtur Herma auctore *Pastoris* (III, 16) de baptismi necessitate ad consequendam salutem disseruntur. Huc vero accedit quod in *Descensu* Christi cap. XXVII. p. 782 ipsi resuscitati illi in Jordane baptizati dicuntur, quemadmodum cap. XIX. p. 696. vaticinium angeli de Adamo aliquando aeterna salute impertiendo id ipsum urget ἐν ὕδατι καὶ ἐν πνεύματι eum servatum iri. Quis enim tandem probet posterioribus demum Pauli aetate placuisse simile aliquid de baptismo, quum jam Mc. XVI, 16 dogma de necessitate baptismi

prorsus praeivisse videatur? PAULUS l. l. nec probat nec improbat illum pro mortuis baptismum; sed tamen ita tangit ut certis quibusdam hominibus, non ipsi ecclesiae, eum probatum esse significet.

Verba PAULI: II Cor. XI, 24. τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον, cum *Act.* PIL. IV. p. 546: ἄνθρωπος εἰς ἄνθρωπον ἐὰν ἁμαρτήσῃ etc. conferenda sunt, unde apparet quo juris Judaici titulo PAULUS illam poenam subire jussus sit.

Item II Cor. XII, 4. ἄρρητα ῥήματα PAULI confer cum *Descensu* CHR. XXVII, ubi latinus textus habet: »Amplius non sumus permissi enarrare cetera mysteria Dei" etc.

Haec singula exempla ut maximam partem ex *Actis* PILATI et *Descensu* CHRISTI desumta sunt, paucis tantum adjectis ex *Protevangelio*, nullis ex *evangelio* THOMAE aut reliquis: ita uberrima messis exegetica in *Descensu* CHRISTI parata est ad plurimos Novi Testamenti locos qui mortem, inferos et diabolum, item qui paradisum et coelum, qui angelos, qui antichristum tractant. Horum enim omnium simillima utrinque ratio est; quod vero a sacris auctoribus saepe tantum innuitur aut leviter indicatur, id in *Descensu* plerumque satis exponitur. Quod paucis probandum est.

Ita quae mortis personificationem significant, ut I Cor. XV, 26. 55, illustrantur inde quod mors tanquam unus ex angelis diaboli fingitur, cujus ille officio utitur ad necandos homines.

Cf. capp. 20 sqq. Distinguitur mors ab Hade (I Cor. XV, 55) altero diaboli ministro, qui inferni portas (Mt. XVI, 18 πύλαι ᾅδου) aperit et claudit, ut quos adduxit mors includat atque custodiat. Porro infernum tenebricosum est; tenebrarum notio eminet. Hinc est p. 720 τὰ σκοτεινὰ τοῦ ᾅδου, hinc diabolus ὁ κληρονόμος τοῦ σκότους p. 698 dicitur, hinc Hades p. 710 jurat per tenebras suas: μὰ τὸ σκότος ὃ ἔχομεν; quemadmodum etiam Mt. VIII, 12 etc. τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον et II Petr. II, 17 ὁ ζόφος τοῦ σκότους legitur. In hoc tenebricoso inferno tanquam carcere includuntur mortui cap. XXI et quidem vincti, cf. p. 720: οἱ δεδεμένοι πάντες etc. Hinc patent quae Act. II, 24 leguntur: λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου et οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ, item vs. 31: οὔτε ἐγκατελείφθη εἰς ᾅδην. Porro ignis ille aeternus, poena aeterna, quam impios damnatos manere passim significatur, ut Mt. XVIII, 8 sq. XXV, 41. Mc. IX, 47. Judae 7. Apoc. XX, 10, ab auctore nostro in potestate diaboli esse dicitur, quem Hades cap. XXIII. κληρονόμος τοῦ πυρὸς καὶ τῆς κολάσεως nuncupat. Diabolus autem ἀρχιδιάβολος (p. 736), ἀρχισατράπης (p. 726) nuncupatur quippe qui subditos habeat multos; hinc est ἄρχων τῶν δαιμονίων Mt. XI, 34. XII, 24 et alia. Inprimis quae diaboli circa Christum crucifigendum partes fuerint, describitur. Omnino ille ad necem Christi Judaeos instigasse dicitur (p. 700. ἀπὸ συνεργείας ἡμετέρας ἐσταύρωσαν etc. p. 706. ἐνήργησα τοὺς Ἰουδαίους),

Quocum componendum est quod Jo. VIII, 44. Judaei filii diaboli nuncupantur, item quod Jo. XIII, 2. 27. diabolus traditionis consilium in cor Judae dedisse dicitur. Diabolus autem humana specie deceptus ac per ignorantiam in Christum tam graviter peccasse dicitur cap. XX; quod idem Paulus I Cor. II, 8. quodammodo ad Judaeos transfert.

His locis adde eos qui paradisum et coelum spectant. In illum quidem Paulus se raptum significat, item in tertium coelum, II Cor. XIII, 4. Huc pertinent quae de Christo paradisum intrante cap. XXV. dicuntur. Is enim locus a coelo distinctus et tamen extra terram est, quippe quem Christus in coelum adscendens quasi inter viam attigerit.

Porro pauca de bonis angelis videnda sunt. Dicitur Lazarus ab angelis in sinum Abrahami translatus esse Luc. XVI, 22. Item Apoc. XII, 7. Michael et angeli ejus bellantes inducuntur; item *ep.* Jud. 12. Michael de corpore Mosis contra diabolum dimicasse dicitur. Quae qualia sint clarum fit eo quod ab auctore nostro Michael tanquam piarum animarum curam gerens depingitur, quas postquam per angelos suos (ψυχοπομπούς) deduxit, in paradisum introducit. Hinc latro ei acclamat: ἄγαγέ με τοίνυν ἐν τῇ πύλῃ τῆς Ἐδέμ. Hinc eidem Christus Adamum tradit cap. XXV. Huc spectat etiam *Historia* Josephi *fabri* cap. XIII, ubi moriturus Deum precatur ut sibi Michaelem mittat.

De antichristo quod est II Thess. II, 8 sq. iis illustratur quae de Satana vinciendo ac detinendo usque ad secundam Christi apparitionem dicuntur capite XXII.

Unum de *Actis* Pilati addam. Quum evangelistae locum quo crux Christi erecta est vario modo designent, factum est ut non satis constaret utrum a craniis quae ibi jacerent, an a cranio cujus formam haberet, is locus dictus esset. Posterius maxime commendatur eo quod Lucas XXIII, 33. ipsum locum *Κρανίον* dici perhibet. Ad quam sententiam accedit *Actorum* Pilati auctoritas, in quibus est p. 662: *ἐπὶ τοῦ Κρανίου ἐσταυρώθη.*

§. 12.

Tertia denique exegetici usus apocryphorum evangeliorum ratio, cum secunda quam modo vidimus admodum connexa, in traditione quam dicunt exegetica cernitur. Tot enim locis quibus auctores illorum ad canonica respiciunt non quae scripta invenerunt simpliciter repetunt, sed quemadmodum sive ipsi explicabant sive ab aequalibus explicari sciebant modo disertis verbis modo allusignificant. Hujusmodi haec videntur esse:

Lc. I, 39. Maria visendae Elisabetae caussa *εἰς πόλιν Ἰούδα* profecta esse dicitur. Hoc oppidum quum alii consulto a Luca non ipso nomine indicatum judicabant, tum aliis coniecturae temere amantibus placuit *Ἰούτα* s. *Ἰούττα* pro *Ἰούδα*. Auctor vero

Protevangelii quid intellexerit satis indicavit. Capite enim XXII. Elisabetam insidias Herodis fugere facit, et Jesum et Johannem pueros Bethlehemi et in vicinia vestigantis. Itaque πόλις Ἰούδα visa ei est Bethlehem. Neque id quidem ineptum, si Lucae indicia sequimur. Ἡ ὀρεινή enim de qua loquitur v. 39. omnino regioni circa Hierosolymam convenit, quemadmodum v. 65. diserte ἡ ὀρεινὴ τῆς Ἰουδαίας dicitur. Neque contra est quod v. 80 legitur: ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις; Bethlehemo enim deserta loca prope adjacent. Tamen si quis dubitare quam credere mavult, non credibile dixerit Bethlehemi nomen Lucam silentio praeteriturum fuisse.

Qua cum re cohaeret illa de nece Zachariae historia *Protev.* capp. XXIII et XXIV. Qua Mt. XXIII, 35. Luc. XI, 51. non modo respici sed explicari clarum est. Auctor igitur *Protevangelii* eum locum interpretatus est de Zacharia Baptistae patre. Quod idem, quamquam non eodem omnibus modo, Origeni, Basilio aliisque multis placuisse constat. Verum illi potius quam fictum narrare vix videntur; quod praeter alios nuper Meyerus *in comment. ad* Matthaei locum probabiliter demonstravit. Qua in re grave est quod traditio Origenis a Pseudo- Jacobi historia satis differt. Perspicuum vero ex *Protevangelio* hoc fit, tam communem jam primis temporibus fuisse explicationem illius loci de Zacharia Johannis patre, ut variis commentis stabilire studerent.

Ad Luc. II, 1. de censu ab imperatore praecepto pertinent variae lectiones *Protevangelii* cap. XVII. Quod enim Lucas habet πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, in *Protev.* cod. Vatic. est: πάντας τοὺς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, quod rursus arctioribus finibus circumscribunt alii qui habent: πάντας τοὺς Ἰουδαίους οἳ ἦσαν ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, aut πάντας τοὺς ἐν τῇ Βηθλεέμ, aut aliter. Quae lectionis varietas, eo gravior censenda quum Lucae lectio non fluctuet, testatur jam antiquos fuisse qui Lucae textum de sola Judaea interpretarentur.

Ex Luc. II, 7. apparet locum quo Christus natus est stabulum diversorii fuisse. Contra tradit *Protevangelium* cap. XVIII sqq., in spelunca Mariam partum edidisse. Quod utrumque an recte conjungi queat, post quaeramus. Nunc et de *Protev.* XXI, p. 258. et de *Evang. de nativ. Mar. et inf. Salv.* cap. XIV, p. 381. videndum est. Priori enim loco Matthaei verba II, 2: ἐστάθη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον, diserte explicantur in hunc modum: ἔστη ἐπάνω τοῦ σπηλαίου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ παιδίου. Altero id ipsum agitur ut Pseudo- Jacobi relatio cum Luca consocietur. Ibi est enim, tertio die nativitatis Domini Mariam de spelunca egressam et stabulum ingressam posuisse puerum in praesepio, ubi bos et asinus adorarent eum.

Duo alii *Protevangelii* loci ad magos pertinent Jesu pueri adorandi caussa Bethlehemum profectos. Alter est cap. XXI, ubi codex Vatic. ἐκ Περσίδος magos venisse facit. Explicuere igitur

quod Mt. II, 1. est: ἀπὸ ἀνατολῶν, de Perside. Alter de stella agit Messiae, magorum duce. Quae quum *Protevangelii* l. l. qualis fuerit describitur: παμμεγέθης, λάμψας ἐν τοῖς ἄστροις τούτοις καὶ ἀμβλύνας αὐτοὺς τοῦ φαίνειν, tum *in Evang. infant.* Arab. cap. VII. angelus in forma stellae fuisse dicitur. Quae explicatio quantopere priscis hominibus placuerit, apparet inde quod non modo excultiorem (33) repetiit auctor *Operis imperfecti in* Matth. *hom.* II., sed etiam Arabes ipsius Zoroastris vaticinium venditarunt de apparitura stella in cujus medio figura puellae virginis conspiceretur (34).

Exigui momenti esse videbitur quod *evangelium* Thomae cap. XIX in repetenda historia de Jesu puero duodecenni ex Luca II, 41 sqq. πάντα τὰ ῥήματα v. 51. commutavit cum πάντα τὰ γενόμενα. Testatur vero τὸ ῥῆμα apud Lucam olim explicitum esse ad modum hebraei דָּבָר.

Quomodo antiqui interpretati sint illud Lucae III, 23: ὢν υἱὸς ὡς ἐνομίζετο τοῦ Ἰωσήφ, quum ex universo commento illo de pristino Josephi conjugio efficiendum est, tum inprimis indicatur capite X. *evangelii Pseudo-*Matthaei, ubi est: »Igitur Joseph secundum angeli praeceptum virginem uxorem duxit, nec tamen cognovit eam sed caste procurans custodivit." In hunc igitur modum ejus evangelii auctor ut virginem Mariam

(33) Locum exscripsit Thilo p. 391.

(34) Cf. Thilo p. 139. sub 6.

incolumem servatam docuit, ita hunc LUCAE locum nec eos qui JOSEPHUM vulgo JESU patrem nuncupatum testantur, nil a fide alienum tradere ostendit.

Jam supra vidimus de fabula, quae in *Evang. de nativ.* MAR. *et inf. Salvat.* cap. XXIII. (cf. etiam *evang. infant.* arab. capp. X, XI) traditur, appropinquante Jesu infante idola Aegyptiorum corruisse. Quae quum inde orta sit quod Jesaiam XIX, 1. in Messiam vaticinatum contenderunt, tum hoc probat verba angeli quae apud Matthaeum II, 13. leguntur: *φεῦγε εἰς Αἴγυπτον*, ad idem JESAIAE vaticinium veteres interpretatos esse.

Verba prophetae a PAULO apostolo I Cor. XV, 55. libere allata: *Ποῦ σου θάνατε* etc. in *Descens.* CHR. XXI. p. 718. ita adhibentur, ut in victoriam quam CHRISTUS apud inferos reportaverit explicentur. Haec explicatio — quod obiter dico — nescio an in caussa fuerit cur plurimi testes HOSEAE lectionem: *θάνατε* et *ᾅδη* tanquam rei aptiorem etiam ad PAULUM transferrent, qui quidum ipse bis *θάνατε* scripsisse videtur.

Verba CHRISTI Mt. XXVII, 11. *Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον καὶ ἀποκαταστήσει πάντα*, ad JOHANNEM spectare, quem in spiritu et virtute ELIAE (*ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου*) Messiam praegressurum jam angelus ZACHARIAE patri nuntiaverat Luc. I, 17, ita ut restitutio illa in integrum non sit nisi in animis poenitentiae sensu perfusis ad evangelium praeparandis, inter nostros interpre-

tes satis convenit. Sed antiqui multi aliter senserunt, ipsum ELIAM ante gloriosum CHRISTI reditum proditurum opinantes. Quam interpretationem etiam is sequitur qui *Descensum* CHR. scripsit. Capite enim XXV. p. 760 ELIAS et ENOCHUS in scenam prodeunt de amplissimo munere suo ultimis temporibus obsistendi Antichristo exponentes.

Cum quo de ELIA loco cohaeret alius *Apocalypseos* XX, 3 sqq., ubi de duobus CHRISTI martyribus sermo est. Quorum partes quae essent circa filium hominis victorem reducem, etsi satis dictum est, tamen quos intellexerit, ipso quidem nomine auctor non indicavit. Nihilominus in verbis est, auctorem certos duos prophetas non modo innuisse sed etiam legentium animo obversaturos esse posuisse. Alioquin enim certe non dixisset τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου. Jam vero ab auctore *Descensus* CHR. duo martyres illi ipsi nominantur; sunt enim ELIAS et ENOCH; quos eosdem ab antiquis multis intellectos esse, praeter alios ANDREAS et ARETHAS in commentariis ad *apocalypsin* testantur.

Ad explicationem loci Mt. XXIV, 30 de signo filii hominis nonnullis pertinere visa sunt *Descens.* CHR. XXIV, p. 743 textus latini verba: » sicut posuisti titulum gloriae tuae in coelo." Qui locus etsi magna ambiguitate laborat et homini ni fallor auctore libri posteriori debetur, tamen dissentiente THILONE neque ego dubito quin auctor eum titulum gloriae et signum cru-

cis et ipsum illud signum filii hominis esse voluerit.

Ad eos locos transeo ad quos totus liber de *Descensu* Christi inprimis pertinet, alterum Lucae XXIII, 43, alterum Matthaei XXVII, 52 sq.

In illo verba Christi sunt respondentis latroni in cruce. In quibus duo potissimum ambiguae interpretationis sunt. Quaeritur enim, σήμερον quem nexum ac sensum habeat; item quem paradisum Christus dixerit. Atque illud quidem quomodo auctor noster explicuerit, cap. XXVI, p. 772 verbis quemadmodum apud Lucam leguntur transpositis significavit (35). Non enim λέγω σοι, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ, sed σήμερον λέγω σοι, μετ' ἐμοῦ ἔσῃ posuit. Igitur σήμερον cum λέγω σοι, ut veteribus multis visum est, non cum ἔσῃ conjungendum duxit. Quae res quam gravitatem habeat, vide in doctissimis Thilonis notis p. 773 sqq. Paradisus vero, in quo Christus in cruce promisit latronem secum fore, illustratur capitibus XXV et XXVI. Inde intelligitur, auctorem non de coelesti regno Christi sed de Adami paradiso inter terram et coelum posito cogitasse (36).

---

(35) Hunc locum iis adde qui — ut supra expositum est — auctorem *Actorum* Pilati ab auctore *Descensus* Christi diversum esse testantur. In illis enim cap. X. p. 588 verba Christi ad eundem prorsus modum atque apud Lucam afferuntur; in his vero praeter σήμερον transpositum differt etiam ἀμήν duplicatum.

(36) Varias veterum de paradiso opiniones breviter recensuit Thilo p. 775 sqq.

De Matthaei vero loco 1) huc spectat quaestio, utrum corpora illa (τὰ σώματα) sola sine animabus quasi spectra, an ipsi sancti resurrexisse atque inter vivos prodiisse censendi sint, cf. Thil. p. 784. Quam posteriorem sententiam auctorem amplexum esse, tota fabula de Symeonis filiis in vitam reversis docet. 2) Constat varias opiniones obtinuisse de sanctis, quos Christus tum temporis in vitam restituerit. Quos potissimum auctor noster suspicatus sit, non obscurum est. Praeter illud enim fratrum par Adamum, patriarchas, prophetas aliosque nonnullos diserte affert; qua in re fere non dissentit a veteribus Judaeorum Christologis. 3) De sancta urbe quaeritur, quam resuscitati illi intrasse dicuntur. Quam quum Origenes, quem alii secuti sunt, Hierosolymam coelestem esse docuit, auctor noster de Hierosolyma terrestri cogitandum esse probavit. In hanc enim Symeonis filii cum reliquis resuscitatis venisse diserte dicuntur p. 784. Quarto loco de verbis μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ in varias partes disputatum est, quae alii interpretabantur: » postquam Jesus eos in vitam restituerat," alii cum ἐξελθόντες conjungebant. Quorum cum neutris auctorem nostrum facere, jam inde clarum est quod — ut jam vidimus — illud ipsum principale resuscitatorum officium erat, nuntium de resurrectione Christi perferre; vide p. 782. Praeterea vero auctor resuscitatos Symeonis filios primum victoriae Christi de inferis interesse, tum ad Jordanem baptismatis

caussa accedere ac post demum Hierosolymam venire facit.

§. 13.

Demonstratum est igitur varium et magnum evangeliorum apocryphorum esse usum in criticis atque exegeticis circa canonica studiis. Unde quantum pretii habeant monumenta illa antiquitatis Christianae, saepe multis immerito neglecta, luculentis effectum est exemplis. Sed una restat quaestio eaque omnium facile gravissima. Quum enim historicum potissimum genus profiteantur, multa vel tota in describendis rebus quae spectant Jesu vitam, quaeritur quid tandem huic vitae lucis afferant. Negata enim omnibus quidem authentiae laude, tribus vel potius quatuor iisque graece scriptis summa concessa est vetustas, ad quam et copiosa et locuples evangelii fama facile pertinere poterat. Accedit quod sancti evangelistae brevissimam tantum partem vitae Jesu narrant, alia leviter indicantes, alia prorsus silentio praetereuntes. Tradit etiam Lucas in evangelii prooemio, jam ante se multos res Christi litteris mandasse; quemadmodum Johannes testatur, multa alia a Jesu signa facta se non notasse (XX, 30), omnia vero si conscriberentur libros scribendos vix posse capi (XXI, 25). Sed cavendum est ne in eundem modum peccemus quo veterum multi peccarunt, qui historiae explendae studio exactum judicium

postponebant, vanisque commentis malebant fidem tribuere quam profiteri nihil sciri posse. Inde enim factum est ut evangelicam historiam non tam illustrarent quam obscurarent, atque sensim ipsa evangelii veritas in apocryphis fabulis misere delitesceret. Non ineptum quidem illud est Epiphanii monachi: *κἂν ἐκ τῶν ἀποκρύφων τι λάβωμεν, μηδεὶς ἡμᾶς ἐπιμεμφέσθω;* caussa vero quam subjunxit: *αἱ γὰρ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρίαι ἀξιοπιστότεραί εἰσιν, ὥς φησιν ὁ Μέγας Βασίλειος*, ita circumscribenda est ut apocrypha illa, etsi mendacio ac dolo debentur, tamen et potuisse et debuisse veri rationem habere dicamus. Poterant enim, utpote ipsis rebus gestis proxima; debebant vero quum ipsius fraudis magna commendatio a veritate proficisceretur.

Quae quum ita sint, ne inter speciosam falsitatem et sinceram probabilitatem incerti fluctuemus, duo potissimum examinanti singula observanda erunt. Quum enim videndum erit ne quid aut consulto fictum aut leviter admissum aut a pia quam dicunt fraude profectum sit, tum contra disertam canonicorum narrationem nihil probabile judicandum erit nisi gravissimis argumentis nixum.

Progrediamur autem ita ut singula pensitemus quemadmodum temporis se ordine excipiunt, primum de iis explicaturi quae circa parentes Jesu versantur, deinde de Jesu ortu atque infantia, denique de rebus ejus ultimis.

§. 14.

Ordiendum est *ab avis Jesu.* Hos *Protevangelium*, consentientibus reliquis quae ex hoc fluxerunt evangeliis, Joachimi et Annae nominibus insignivit. Ea non dubito digna fide habere. Vera enim parentum Mariae nomina quum medio secundo saeculo, quo evangelium illud scriptum videtur, sine dubio sciri possent, quis tandem nova fingendi consilium habere poterat? Aut quem eventum talem fictionem habituram fuisse existimemus? Accedit quod haec nomina sine controversia tradita (37) atque, ut constat, instituta memoria festa jam antiquae ecclesiae auctoritate confirmata sunt. Qua in re grave est Fausti Manichaei testimonium, qui patrem Mariae, licet sacerdotem ex tribu Levi oriundum faceret, eodem nomine usum dixit. Contra quem Augustinus XXIII, 9. disputans non tam nomen Joachimi quam id urget quod Faustus eum sacerdotem fecit. Ab ipso vero nomine defendendo abstinere debebat quum ab apocryphis Fausti commentis ad evangelici canonis auctoritatem provocaret. Porro grave illud est quod apud ipsos Judaeos Maria filia Eli sive Jehojakim fuisse tradita est (38).

---

(37) Mohammedes quidem, in nomine Annae sive Hannae consentiens, patrem Mariae Amran dixit. Quod in tanto fabulatore vix momentum habet. Cf. *Corani* Sura III.

(38) *Babyl. tract. Sanhedrin* fol. 67. *Hierosolym.* fol. 77. Cf. etiam Galatin. *de arcanis catholicae veritatis* VII. c. 12. p. 292 sq.

Haec autem nomina Eli, quod plene est Eliakim, et Jehojakim sive Joachim quum diversa non sint (39), suspicio oritur nomen patris Mariae ad Lucanam Jesu genealogiam conformatum esse. In hac enim (Luc. III, 23) quum Eli dicatur Josephi pater, jam ante Augustinum (cf. *quaest. evang.* II, 5) fuere qui opinarentur, Lucam quippe non Josephi sed Mariae genealogiam tradentem, Josephum filium Eli non dixisse nisi quod ille hujus gener esset (40). Sed ne quaestionem de genealogiis Jesu ab omni parte spinosam penitius indagemus, equidem sic existimo ipsam illam Lucanae genealogiae explicationem a nomine patris Mariae Joachim, ex antiqua fama pervulgato, profectam esse, praesertim quum vix dubium sit antiquissimae ecclesiae genealogiam Josephi non offensioni fuisse.

Secundo loco quaeritur an Joachim ille ovium pastor fuerit, quemadmodum magno consensu, uno *historiae* Josephi loco (cap. II) excepto, evangelia apocrypha tradunt. Quae res duas propter caussas dubia videtur. De ea enim si illis temporibus satis constitisset, Faustus cum suis non excogitasset Joachimum ex sacerdotali tribu fuisse, quod passim etiam aliis placuisse illo *historiae* Josephi loco probatur. Pastoris vero persona optime ad fabulas quadrat in primis *Protevan-*

---

(39) De qua re uberius exposuit Arens: *de evangg. apocr. usu*, p. 31.

(40) Postea in eadem sententia cum aliis multis Lutherus erat, cf. *Opp.* ed. Walch. tom. XX. p. 2594 sqq.

gelii capitibus expositas. Praeterea tota de rebus Joachimi atque Annae traditio parum eo commendatur quod omnis locorum ubi gestae sunt deest mentio. Quod quum qui *evangelium de nativitate* Mariae Matthaeo adscriptum condebat bene sentiret, quae ex re videbantur ipse addidit.

Tertio loco de Maria dicendum. Ejus ortus, Pseudo-Jacobo teste, memorabile nihil nisi id habet quod parentibus jam ultra prolis spem aetate provectis, praeeunte angelico nuntio, nata dicitur. Cujus narrationis fides eo magis suspecta est, quoniam ea quae circa Samuelis prophetae et Johannis Baptistae ortum scripta sunt haud obscura imitatione exprimit. De praesentatione vero Mariae in templo, ad praesentationem Jesu composita, non est quod iterum explicemus; neque magis de Mariae educatione in templo, quae ne legibus quidem Judaeorum sacris conveniens erat. In canonicis evangeliis prorsus nihil erat unde suspiceris ejusmodi quid Mariae puellae accidisse.

Fueritne Maria pariter ac Josephus maritus de stirpe Davidica, multum ex longo tempore disceptari constat. Etsi enim illud quidem frustra est quod Lucam genealogiam Mariae, non Josephi, contexuisse existimarunt, tamen ejusmodi genealogiam Mariae olim circumferri testis est Justinus Martyr (41). Accedit quod Luc. I, 32.

---

(41) Cf. Justin. Mart. *Dial. c. Tryph.* f. 327. (ed. Colon.)

Gabriel angelus de Davide Jesu patre ita ad Mariam loquitur ut id non a Josepho sponso sed ab ipsa Maria pendere videatur: illud enim urget I, 35, de spiritu sancto virginem concepturam esse, neque ullam omnino Josephi mentionem facit. Contra vero est, ut de cognatione Elisabetae et Mariae taceam, quod et Lucas (II, 4, I, 27) et Matthaeus (I, 20) ut Josephum ex Davidis familia oriundum esse eximia cum gravitate dicunt, ita de Mariae genere nihil dicunt. Quae quum ita sint, nescio an momentum habeat quod iam antiquissimi *Protevangelii* auctor cap. X. Mariam *ἐκ φυλῆς Δαυίδ* fuisse asserit: quam assertionem post confirmant et Pseudo-Matthaei *evangelium* cap. I. et *Historia de nativitate* Mariae *infantiaque Salv.* cap. XIII.

Porro de conditione Mariae quaeritur. Quam quum Celsus teste Origene (I, 28) *χερνῆτιδα* i. e. nendo victum quaeritantem fuisse tradiderit, quod scilicet in opprobrium ille vertebat Christi (» *ὀνειδίζει δ' αὐτῷ*"), accedit *Protevangelii* testimonium, asserentis cap. X sq., Mariam purpuram veli templi nevisse. Nimirum splendor operis ex ingenio est fabulae; credibile tamen est subesse veri aliquid. Odiosum contra est Judaeorum commentum (in libro *Toled. Jesch.*), Mirjam crispandis cincinnis operam dedisse. Cohaeret autem illud Celsi circa Christum opprobrium, quod ei videbatur, cum eo quod ibidem *ἐκ γυναικὸς ἐγχωρίου καὶ πενιχρᾶς* natum dixit. Quocum evangelium consentit Lucae, qui II, 24.

hostiam ab ea in templo pauperibus propriam oblatam perhibet; ad quem locum vetus scholion (in cod. Octateuch. Coisl. I) habet: *ὅτι οὐδὲ ἄμνον ἐνιαύσιον ἄμωμον εἰς ὁλοκαύτωμα εἶχεν ἡ Μαρία διὰ τὴν πενίαν.* Quae res ejusmodi est ut simul confirmet illud, Mariam fuisse *χερνῆτιδα.* Ab hoc vero apocrypha dissentire evangelia, quae tota sunt in celebrandis Mariae laudibus, neque mirum neque grave est.

Protevangelii capite VIII. refertur, duodecennem Mariam fuisse quum traderetur Josepho. A quo posteriora evangelia eo discedere quod vel duo annos addant vel duobus demum annis post virginem concepisse faciant, jam supra notatum est. Ea vero res quam probabilitatem habeat, difficile dictu est. Omnino ex more patrio poterat duodecennis virgo viro nubere. Neque contra est evangeliorum Matthaei et Lucae auctoritas. Juvenem enim Mariam Christum concepisse satis significant; post vero et in nuptiis Canensibus filium plus triginta annorum comitatur, et ad crucem filii plorans curis traditur Johannis. Commenti vero suspicionem movet quum ipsorum apocryphorum evangeliorum in definienda aetate dissensio, tum quod ea Mariae aetas ad aetatem Christi in templo sedentis conformata videtur.

Cui rei proxima est solemnitas, qua Josephus electus dicitur qui Mariam virginem in domum reciperet suam. Eam ipsam et quicquid idcirco narratur, ut quod Josephus senex decrepitus inducitur, qui Mariam non tam uxorem duxerit

quam custodiendam receperit, in mera fictione posita esse, MATTHAEUS (I. 18, 19) et LUCAS luculenter probant.

Quod vero senectutem JOSEPHI sponsi MARIAE recusandam duximus, id etiam vim habet ad illam de priore JOSEPHI conjugio traditionem, quae ut pluribus pseudevangeliis nostris communis est, ita in Pseudo-PETRI *evangelio* fuisse traditur ab ORIGENE. Qua in re gravissimum illud est quod fratres JESU, quorum evangelistae passim mentionem fecerunt, ex priore illo conjugio JOSEPHI fuisse dicuntur. Quod veteres de perpetua MARIAE virginitate sollicitos finxisse, supra dictum et satis clarum est (42). Vehementer enimvero cum MATTHAEI et LUCAE narrationibus pugnat, in quibus JOSEPHUM MARIA postquam primum partum edidisset uxore usum esse haud obscure significatur. In ipso vero isto commento eminet illud, idque grave est, communem in primaeva ecclesia opinionem obtinuisse JESUM fratres habuisse, invitis interpretibus iis quibus fratres latiore sensu pro consobrinis ab auctoribus sacris dicti videntur. Praeterea in tribus fratrum nominibus: JACOBI, quem eundem *Evang.* THOMAE cap. XVI. testatur, SIMONIS et JUDAE, *Historia* JOSEPHI cap. II. cum Mt. XIII, 55 consentit; quarti vero nomen, quod apud MATTHAEUM inter Ἰωσήφ, Ἰωσῆς et Ἰωάννης fluctuat,

(42) Nihilominus hodieque esse qui commento fidem tribuant, ut GROTIUM, PAULUM, BERTHOLDTUM, etiam atque etiam mirum est.

in *Historia* Josephi dicitur Justus. In eadem *Historia* duarum Jesu sororum nomina: Assia (Escha? Salome?) et Lydia afferuntur, quae ab aliis vel Esther et Thamar (ita Hippol. Theb.) vel Maria et Salome (ut Theophylact.) dicuntur. Quod cum Mt. XIII, 56. Marc. VI, 3 comparandum est, ubi in universum sororum Jesu mentio fit.

Fuisse autem Josephum fabrum lignarium, quum ex Matth. XIII, 55. intelligitur, tum unanimi apocryphorum evangeliorum confirmatur testimonio. Cf. *Protev.* IX. XIII. *Evang.* Thom. XIII et *text. Sinait.* p. 53. *Hist.* Josephi II. IV. *Evang. infant.* arab. XXXVIII sq. Illud vero quod non modo in minoribus operibus sed etiam in aedificiis exstruendis occupatus fuerit (*Evang.* Thom. XIII. *Protev.* IX), praesertim quum Mariae paupertas testata sit, videturfictum.

Comparatis Matthaei et Lucae relationibus ambigitur ubi Josephus et Maria domicilium habuerint. Matthaeum si sequimur, diutius Bethlehmi commorati — Herodis enim infantes a bimatu occidi jussit — in Aegyptum fugiunt; unde reversi sunt Nazareth, quam civitatatem nondum habitasse videntur (cf. II, 23: *καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέθ*). Contra Luca teste peractis iis quae lex jussit (II, 39) Bethlehemo revertuntur in patriam suam quae est Nazareth (cf. l. l. *ὑπέστρεψαν -- εἰς πόλιν ἑαυτῶν Ναζαρέθ*). Qua in re dijudicanda momentum habet quod *Protevangelium* cap. XVII. diserte dicit, Josephum ad obeundum censum a Nazareth

debuisse Bethlehemum proficisci. Accedit id igitur ad Lucam propius quam ad Matthaeum, plane consentiente Justino *dial. c.* Tryph. p. 303: ἀνεληλύθει ἀπὸ Ναζαρὲτ ἔνθα ᾤκει εἰς Βηθλεέμ ὅθεν ἦν ἀπογράψασθαι.

Denique ad hanc de parentibus Jesu quaestionem ea pertinent quae in *Protevangelio* circa familiam Johannis Baptistae traduntur. In iis narrationem de Zachariae nece *Protevang.* XXIII sq. vix credibilem esse, jam expositum est. Quaeritur an plus probabilitatis habeat quod Herodes non solum Jesu puero sed etiam Johanni puero insidiatus dicitur ibidem XXII sq., item quod Zachariam cum Elisabet Bethlehemi habitasse auctor facit. Quae omnia satis inter se cohaerere in promtu est. Domicilium quidem Zachariae Bethlehemiticum cum Lucae capite I. non pugnare jam vidimus. Quo concesso insidias Jesu paratas pro aetatis patriaeque similitudine etiam ad Johannem pertinuisse sequitur, etiamsi quae circa nascentem Johannem mirabilia a Luca narrantur suspiciosum regem latuisse datur. Rursus vero hoc concesso nec historia de Zachariae nece prorsus ficta videbitur, praesertim quum jure dubites an tota explicandi loci Matthaei caussa temere inventa sit. Ex his apparet, gravem prae ceteris illam de domicilio parentum Johannis traditionem esse. Haec vero etiam propterea dubia est quoniam Rabbini quidem in urbe Hebron illos habitasse tradiderunt. Cf. Othon. *lexic. rabbin.* 324. Witsii *miscell. sacr.* II, 389 sq.

§. 15.

Ad ipsius Jesu ortum atque infantiam transeundum est.

Et primum quidem de iis videamus quae in praenuntianda prole spiritus sancti versantur. Negarunt nuper, duce potissimum Straussio, Matthaei narrationem de nuntio ad Josephum perlato convenire cum Lucae narratione de angelo ad Mariam legato: alterum enim altero praecludi. Quod quam alienum sit ab auctore *Protevangelii*, perspicuum est. Is enim postquam de verbis angeli ad Mariam dictis cap. XI. retulit, cap. XIV. refert et ipsum Josephum de eadem re divinitus edoctum esse.

Spectant hi *Protevangelii* loci etiam ad quaestionem eam quae est de tempore quod inter praenuntiationes Mariae et Josephi intercesserit. Ebrardus quidem vult (43) ne mensem quidem inter utramque intercessisse: jam enim antequam ad Elisabetam Maria proficisceretur, et ipsum Josephum divinum illum nuntium accepisse. Qua opinione, quae quemadmodum apud Ebrardum l. l. legitur maxime displicet, multo aptior est Protevangelistae ratio, exponentis cap. XIII. Mariam ex itinere quod ad Elisabetam fecisset reducem in suspicionem incidisse Josephi propterea que

(43) Cf. *Wissenschaftl. Kritik der Evang. Geschichte* § 45. 5. (1850. pag. 221 sq.).

tum demum ipsum JOSEPHUM quid rei esset in somnis edoctum esse.

Ad tempus quo CHRISTUS natus sit accuratius definiendum *Protevangelium* nihil facit. Et ipsum enim in universum censum ab AUGUSTO praescriptum refert cap. XVII. Quem quod codices plurimi ad JUDAEAM tantum pertinere perhibent, id a verborum LUCAE interpretibus profectum est neque magis clarum est. QUIRINI quidem *Protevangelium* mentionem nullam injicit. Sunt vero qui huic rei plus lucis inde afferri censeant (44) quod *evangelium infantiae* arabicum cap. XXV sq. — dissentiente *historia* JOSEPHI cap. VIII. — JESUM cum parentibus triennium in Aegypto commoratum facit. Quum enim mors HERODIS, teste JOSEPHO historico, in annum Romae incidat 750, subtracto triennio illo eum ipsum annum inveniri quo ex computationibus astronomicis de stella Messiae cum magna probabilitate CHRISTUS natus videatur (45). Hoc recte habet; tamen nec illud praetereundum est quod *evangelium* THOMAE cum iis quae inde pendent puerum ex Aegypto reducem quinquennem facit; unde secundum MATTHAEI illud II, 16: *ἀπὸ διετοῦς*, puerum in Aegyptum fugientem duorum fere annorum fecisse videtur. Gravius vero illud est quod LUCAE textus (II, 39.) illi triennio prorsus contrarius est; nisi quod idem ne MAT-

(44) Cf. ARENS l. l. p. 27 sq.
(45) Cf. etiam WINER: *Realwörterbuch* p. 560.

THAEI quidem relationem de fuga in Aegyptum videtur admittere (46).

Huic quaestioni finitima est alia. Quaeritur enim quid aetatis habuerit infans JESUS, quando a magis orientalibus salutabatur. Ex MATTHAEI quidem verbis modo allatis (II, 16.) probabile fit magos non ad ipsum recens natum accessisse: etsi illud *ἀπὸ διετοῦς* ita explicari potest, stellam Messiae non tum demum apparuisse primum quum ipse nasceretur, sed nasciturum praenuntiasse, praetereaque temporis nescio quid intercedere potuisse inter adventum magorum et HERODIS necem. Ceterum plerique qui nostra memoria ea de re scripserunt minime anni spatium a natali CHRISTI die usque ad magorum adventum elapsum esse posuerunt. Quid quod prae ceteris HUGIUS (47) inter primos quadraginta dies LUCAE (II, 22) accidisse existimavit quicquid de adventu magorum deque fuga ac reditu parentum JESU MATTHAEUS narrat capite II. Quam ad quaestionem duo potissimum apocryphorum evangeliorum loci spectant: alter est *Protevangelii* cap. XXI, alter *Historiae de nativit.* MARIAE *et infant. Salv.* cap. XVI. Atque in *Protevangelio* quidem statim postquam de ipso MARIAE partu in spelunca prope Bethlehemum expositum est (cap.

(46) Praeterea cf. *evang. infant.* arab. cap. II. ubi anno trecentesimo nono aerae ALEXANDRI CHRISTUS natus dicitur. Quocum plane consentit ABULFARAGIUS, qui insuper mensem et diem nativitatis indicavit. Vide THILONEM p. 135 sub finem.

(47) Cf *Gutachten über das Leben Jesu von Strauss.* Freiburger Zeitschrift für Theologie. Bd. I. Heft. 2 pag. 66 sqq.

(XX), narratur (cap. XXI) magorum adventus: qua re ad similitudinem evangelii MATTHAEI accedit, nisi quod MATTHAEUS de ipso tempore quo advenerint magi nihil accuratius praefinit, Protevangelista vero haud obscure significat primis post MARIAE partum diebus magos venisse (48). *Protevangelio* igitur si qua in hac re auctoritas est, magi Bethlehemum ante venisse putandi sunt quam infans Hierosolymae Domino sisteretur. Sed a *Protevangelio* satis differt *Historia de nativ.* MARIAE *et infant. Salv.* Ibi enim cap. XVI. (cf. THILO: *Cod. apocr.* pag. 388.) diserte scriptum est »duobus diebus" postquam infans Domino oblatus esset advenisse magos. Sed Latinorum de hac re traditiones magnopere fluctuasse videntur. Ut enim in alio THILONIS codice (cf. THILONIS ad h. l. notas) est *Tertio decimo vero die* (i. e. a CHRISTO nato) *venerunt magi ab oriente* etc. et oblatio infantis in templo magorum adventum subsecuta dicitur, ita in evangelio meo apocrypho Pseudo-MATTHAEI cap. XXII. haec leguntur: *Transacto vero secundo anno venerunt magi ab oriente.* Quae quum ita sint, aptiora videbuntur ad interpretationis historiam explendam quam illustrandam JESU CHRISTI vitam.

(48) Cf. cap. XXI ab initio: *καὶ ἰδοὺ Ἰωσὴφ ἡτοιμάσθη ἐξελθεῖν εἰς τὴν Ἰουδαίαν*, ubi pro contextu ad *ἐξελθεῖν* cogitandum est *ἐκ τοῦ σπηλαίου*: nimirum *εἰς τὴν Ἰουδαίαν*, quae vulgata lectio est, omnino praestat lectioni, quae unius codicis est, *ἐκ τῆς Ἰουδαίας*. Quae interpretatio confirmatur iis quae ibidem ad finem leguntur: *ἰδοὺ ὁ ἀστὴρ -- προῆγεν αὐτούς, ἕως οὗ ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω τοῦ σπηλαίου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ παιδίου.*

Porro de loco natali quaeritur, sive, ut statim quod controversum est definiam, quaeritur an stabulum de quo Luc. II, 7. agit idem fuerit antrum de quo, consentiente communi veterum traditione, prolixa est *Protevangelii* narratio. Quod postquam superiore aetate multi fuerunt qui affirmabant, nostra aetate plerique negant, et quidem tribus potissimum caussis ducti. Lucam enim diserte id indicaturum fuisse; porro cultum quendam antrorum plane ex ingenio atque usu esse orientalium; denique ex Jesaiae vaticinio XXXIII, 16. istam de antro traditionem ortam esse. Dicam quae contra habeo. Quod in occidente memoratu dignissimum est, stabulum in antro esse, non item in oriente est, quem qui perlustrarunt omnes testantur, Palaestinensibus nihil magis usu venire quam ex antro stabulum facere. Lucas vero neque id diserte dicit, fuisse stabulum in quo Maria partum edebat; tantum enim in praesepio infantem repositum atque ibi a pastoribus salutatum dicit. Deinde magni mihi faciunda videtur consentiens traditio patrum antiquissimorum, ut Justini, Origenis, Eusebii, quam ex vaticinio Jesaiae fluxisse in mera positum est conjectura. Justinus quidem *dial. c.* Tryph. p. 304. simpliciter rem ita narrat: *'Επειδὴ 'Ιωσὴφ οὐκ εἶχεν -- ἐν σπηλαίῳ τινὶ συνεγγὺς τῆς κώμης κατέλυσε, καὶ τότε αὐτῶν ὄντων ἐκεῖ ἐτετόκει ἡ Μαρία τὸν Χριστὸν καὶ ἐν φάτνῃ αὐτὸν ἐτεθείκει.* Videtur mihi in his ille jam ipsum illud antrum significare, quod postea

communem omnium venerationem amplexam esse scimus. Denique quod illum antrorum cultum attinet, concedendum est videri eum orientalibus hominibus esse in deliciis. At nonne verosimile est Eliam pariter atque Elisam in uno de mille antris Carmeli degisse? tot eremitas in antris deserti habitasse? Certe id non ejusmodi est quo antiquissimae traditionis auctoritatem tollas.

Huic rei proximum est quod de magorum patria quaeritur. Quam supra monitum est *Protev.* cap. XXI. in cod. Vaticano Persiam dici. Id non modo nonnullorum testimoniis veterum, sed etiam ab usu vocum μάγοι et ἀνατολαί commentarii ad h. l. probant. Aliis vero, ut Justino, Tertulliano, Epiphanio, magis placuit Arabia; quod Justinus quidem ut certum multis locis commemorat. Quae quum ita sint, unius codicis *Protevangelii* auctoritas — in aliis codicibus, etiam in tribus Venetis meis, nil nisi μάγοι legitur, idque maxime probo — perparvi momenti est.

Jamvero de tota Jesu infantia quaeritur; quam quum canonica evangelia vix paucis versibus attingant, plura apocrypha describunt uberrime. Haec etsi omnia vel maxime ficta esse manifestum est, tamen aliquid nos docent. Hoc enim docent, illo jam tempore de infantia Christi prorsus nihil cognitum fuisse. Alioquin non potuissent tam inepta in publicum prodire, aut postquam prodiissent omnibusque offensioni essent, certe non defuisset industria meliora do-

cendi, si qua quaerentem via ad verum duxisset. Quicunque vero veterum contradixerunt, nihil aliud fecerunt quam quod ad testimonium canonicorum scriptorum provocarunt, qui omnes, uno Lucae loco excepto, totam infantiam silentio praeterierunt.

Unum tantummodo in commentis de pueritia Christi apocryphis aliqua attentione est dignum. Significant enim, quamquam per miraculi involucrum, Jesum puerum patris artem didicisse, cf. *evang.* Thom. XIII, in textu *Sinait.* p. 53; item *evang. infant.* arab. XXXVIII sq. Hoc ut veterum Rabbinorum more, exemplo etiam Pauli apostoli commendatur, ita testimoniis Justini Martyris, Celsi apud Origenem, Juliani imperatoris aliorumque confirmatur (49). Hinc igitur et lectio et explicatio eorum adjuvatur quae apud Marc. VI, 3. leguntur: *οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων.* Nequaquam vero ejusmodi est quod Celsi illud apud Origenem I, 28: *διὰ πενίαν εἰς Αἴγυπτον μισθαρνήσας* etc. confirmet aut nos doceat quo potissimum modo Jesus vitam transegerit antequam divini doctoris munus apud populares publice profiteretur.

§. 16.

Ad extremum vitae Jesu tempus pervenimus, de quo gravis aeque ac difficilis quaestio est. In

(49) Cf. etiam Winer. *Realwörterb.* p. 567.

eo describendo tota sunt PILATI *acta*. Quibus ut alii narrationes canonicas nullo modo aut expleri aut corrigi significarunt eo quod prorsus neglexerunt, ita alii teste haud spernendo utendum duxerunt. Horum ex numero sunt BRUNNIUS (50), MUENTERUS (51), THILO, ARENS, delectati potissimum eo quod viderunt, Pseudo-NICODEMUM magis quam evangelistas leges judiciarias in JESU condemnando observatas docere. Quod vereor ut per errorem laudaverint. Caussam enim CHRISTI, etiamsi non fuisset nisi civis Judaei, ab omni parte injuste ac violenter actam esse (52) dubium non est si ulla evangeliis est fides. In ea vero tractanda morem quem scimus ex Romanis legibus valuisse observatum esse, et facile fingi poterat et multum ejus intererat qui ex his actis redargui cupiebat multa quae tum in adversariorum ore erant, quique eo magis suum sibi finem assequi videbatur quo magis omnia rite gesta esse persuaderet.

Attamen in ipsis relationibus evangelicis alia inter se discrepant, alia prorsus praetermissa aut leviter indicata sunt. Ad quae dijudicanda ac

---

(50) Cf. ejus *disquisitio historico-critica de aetate, indole et usu libri apocryphi vulgo inscripti evangelium Nicodemi.* 1794.

(51) Cf. STAEUDLIN und TZSCHIRNER. *Archiv für alte und neue Kirchengesch.* V. 2. 1822. Pag. 317—345 ubi est: Probabilien zur Leidensgeschichte aus dem Evang. des NICODEMUS.

(52) Quod nuper egregie contra calumnias SALVADORIS docti Judaei celeberrimus DUPIN illustravit. Libelli quo id fecit titulus est: *Jesus devant Caïphe et Pilate. Réfutation de Mr. Salvador. Par Dupin aîné, advocat.* Paris 1828.

supplenda antiquissimam traditionem valuisse, quis jure dubitat? His vero fictis PILATI *actis*, quae et medium saeculum secundum antecedere videntur et inde a JUSTINI aetate magnam auctoritatem habuerunt, quis luculentior antiquissimae traditionis nobis est testis? Igitur nec aliorum ignorantiam nec aliorum credulitatem ducem sequentes diligenter dabimus operam ut quae diebus illis paucis Hierosolymae gesta sunt, ex sancto Dei decreto in aeternam humani generis salutem conversa, ex hoc teste gravi pariter ac suspecto illustremus.

Praecedit *actis* — id quod ex more actorum est ejusmodi — accurata notatio temporis quo CHRISTUS mortem passus sit. De quo varia atque incerta jam antiquissimorum patrum opinio erat. Id ad definiendum libro nostro non nihil auctoritatis esset si satis constaret lectio. Lectionis vero tanta est ambiguitas ut nec quem annum nec quem diem ipse *actorum* auctor indicaverit in promtu sit. Atque in die quidem indicando *actorum* codices jam saeculo quarto inter VIII et XV. Cal. April. fluctuasse, auctor est EPIPHANIUS *haeres.* L. Quartadecim. I. Quorum dierum uter probabilitate praestet atque cum die convenerit 14 (53) Judaici mensis Nisan anni ejus quo CHRISTUS mortuus est, difficillimum dictu esse constat. Ad eorum quidem rationes qui

(53) De hoc enim potius quam de die 15. cogitandum esse, vide in *Synopsi Evangelica mea* p. XLIV sqq.

anno aerae Dionysiacae 31. (i. e. anno urbis 784) CHRISTUM passum esse statuerunt, dies VIII. Cal. April. accedit proxime (54): eundem ut actorum codices plerique tenent, ita a TERTULLIANO inde latini patres probarunt plurimi. Annum vero quod attinet, testes et graeci et latini et coptus de anno IV. olympiadis ducentesimae secundae consentiunt, respondente anno imperii TIBERII XIX. Qui TIBERII annus et ipse in pluribus documentis et quidem latinis aliisque recentioribus invenitur, neque viri docti desunt quibus maxime commendetur: XV. enim TIBERII annum, qui in codicibus graecis plerisque scriptus est, propterea vulgatum volunt quoniam veterum plurimi CHRISTUM eodem anno et prodiisse et decessisse existimarunt; prodiisse vero eum anno TIBERII decimo quinto, a plerisque Lucas III, 1. luculentissimus testis habitus est. Qua de re in varias partes disputari potest. Illud enim nuper jure est in dubium vocatum, LUCAM l. l. eum indicasse annum quo JOHANNES BAPTISTA primum in publicum prodisset. Quodsi vero potius indicavit quo anno CHRISTUS JOHANNE BAPTISTA capto in Galilaeam abierit (55), a quo quidem inde tempore Synoptici quos dicunt continuam rerum gestarum historiam conscripserunt, veteres illi qui eodem anno CHRISTI mortem evenisse posuerunt, a vero non longe aberrasse videntur. Ut

(54) Cf. ANGER: *De temporum in actis app. ratione* etc. pag. 37.
(55) Cf. *Synops. Evangel. mea*, p. XVII.

enim id quod sentio plane dicam, jam Julius Africanus omnino rectum tenuisse mihi videtur, in sextum decimum Tiberii annum Christi mortem incidisse dicens (56). Sed utut res est, ista quae in actis nostris adscripta est temporis nota certe non plus auctoritatis habere existimanda est quam variae veterrimorum patrum de re eadem opiniones.

Antequam autem ad singulas res his Pilati *actis* traditas transeamus, breviter dicendum erit de persona eorum quorum primae partes sunt, i. e. Judaeorum, Christi, Pilati. Hi omnes, ni fallor, in universum ita in *actis* propositi sunt ut ad canonicorum evangeliorum rationem haud male quadrent, licet singula multa a veritate canonica abhorreant. Judaei enim prodeunt mendaces et perfidi paratique ad arripiendum quicquid eos ad eventum videtur perducturum, fluctuantes inter sacrilegii accusationem et criminis civilis, ludibrii patientes dummodo id quod volunt extorqueant, obstinati et a caussae suae desperatione audaces. Quod praeterea expertes fidei et tamen credulitate quadam et superstitione ad fidem propensi repraesentantur, id *actis* proprium atque a singulari auctoris consilio profectum est.

Christus vero accusationi malignae divinam animi aequitatem fiduciamque caussae iustae mag-

(56) Cf. Routh. *Reliquiae Sacrae*. Oxon. 1814. Tom. II. pag. 188 et commentar. ad. h. l. pag. 340.

nae sanctae opponit, tamen nequissimum judicium completum iri persuasum habet. Accusatoribus, de quibus dudum desperandum fuerat, jam nihil habet quod respondeat; ad Pilatum vero tantum dicit quantum satis erat quum ad accusatorum fraudem arguendam tum ad significandam caussae suae dignitatem.

Pilatus denique, simul ac Judaei accedunt, alienum ab iis animum non celat neque quantopere fanaticae eorum accusationi diffidat: hinc statim operam dat ut totam caussam declinet. Mox minime vulgarem hominem in judicium vocatum esse videt: Jesu tam praesentem firmumque ac tranquillum animum magni faciens, Judaeosque cum contemtu eludens, ab injusta refugit damnatione. Crescente vero Judaeorum impetu, ubi intellexit quanto furore damnationem Jesu appeterent, suaeque ipsius famae ab eorum ira metuendum esse sensit, de jure cedere malebat quam semetipsum in vituperationem odiumque adducere Judaeorum; nimirum tanti non fecit hominis boni ac iusti mirificique vitam ut ipse ejus caussa ingrederetur periculum.

Sed his quid auctoritatis esse velimus, satis perspicuum erit ubi de singulis fuerit visum.

Narratur capite I. quomodo Judaei accusantes Christum Pilato tradiderint. Qua in re non modo quicquid coram synedrio gestum est silentio praeteritum est — non enim auctori „Pilati" *acta* scripturo, ex re videbatur sua — sed etiam ratio qua traditio illa fit a veritate evangelica

abhorret. Licet enim quod MATTHAEUS et MARCUS diserte eum Judaeos vinctum adductum PILATO tradidisse faciunt non urgendum sit, quum nec JOHANNES nec LUCAS vinculorum injecerint mentionem, qua tanti criminis accusatio facile carere posset: sed quae multa de rei introductione in praetorium narrantur, et fabulosa sunt et evangelio contradicunt. Inventa vero in eum videntur finem ut ironiam quandam PILATI erga Judaeos eorumque qui videretur regem significarent. Unum notabile est quod cursor a PILATO missum se ad ALEXANDRUM dicit, quem eundem in plerisque codicibus recte in accusatorum numero positum LUCAS in actis IV, 6 unum de PETRI judicibus fuisse refert. Praeterea momentum habet quod auctor nihil dubitat ipsum praetorium accusatores introivisse (cf. inprimis p. 544: *ἐκέλευσεν ἐξελθεῖν ἔξω τοῦ πραιτωρίου*); quod ut synopticis relationibus, unde coenam paschalem praecessisse accusationem probabile fit, adeo non contrarium videtur, ita JOHANNIS repugnat disertis verbis XVIII, 28.

Accusatorum nomina in codicibus magnopere fluctuant. Illud vero pro iis partibus, quas horum pontificum in crimine fuisse evangelistae referunt, rectissime fit quod ANNAS et CAJAPHAS primum locum occupant.

Quo nomine coram PILATO CHRISTUM accusaverint quaeritur. Hoc apud MATTHAEUM et MARCUM non indicatur nisi quod ex quaestione PILATI Mt. XXVII, 11. Mc. XV, 2. caussa principalis conjicienda est. Item apud JOHANNEM ea res ab-

ruptum nescio quid habet; neque enim ad Pilati quaestionem: Quam caussam affertis etc. XVIII, 29 id ipsum respondent quod quaeritur, sed in universum significant se non tradituros esse Christum nisi is male fecisset. Apud Lucam vero XXIII, 1. ipsa accusatorum verba afferuntur haec: *Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος ἡμῶν καὶ κωλύοντα φόρους Καίσαρι διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι.* Multo his prolixior est *actorum* Pilati relatio; nec in ea desunt quae probabilitatis speciem habeant. Proprium quidem *actis* est illud quod non civili tantum crimine sed etiam blasphemiae Christum coram Pilato accusari faciunt, quemadmodum in ipsis primis accusatorum verbis est, et Dei filium et regem illum se profiteri. Talem duplicem Judaeorum criminationem fuisse, apud Lucam conjunctis indicatur verbis *Χριστόν* et *βασιλέα;* item apud Johannem in extrema caussae actione ad blasphemiae crimen provocant. Jamvero de *actis* sic sentio: a persona Judaeorum odio atque ira plenorum talem criminum confusionem minime alienam esse, ipsam vero descriptionem imitari quasi vociferantes turbas. Nec fictionem illud prodit quod Jesum magum esse magicisque sanandi artibus usum cum singulari vi criminantur posteaque bis repetunt: pp. 524. 570. Quum enim pervulgata Tiberii in magos severitas esset (57), criminationem istam non mini-

(57) Cf. Dio Cass. LVII, 15. Tacit. *annal.* II, 32. Sueton. *vita Tiber.* cap. 36.

mum momentum habituram sperare licebat. Testantur vero etiam veteres multi (58) ab adversariis Jesum esse pro mago habitum. In eo tantum offendere possis quod Pilatus ejus criminationis tam exiguam rationem habuit ut cap. IV. se nullam in reo culpam invenire profiteretur. Attamen Pilatus nec Judaeis fidem habuit nec, opinor, eodem ac Tiberius in rem magicam quae videbatur furore agebatur. Nimirum illud quod de deo Asclepio Judaeis objecisse dicitur p. 504, multo magis ipse dixisse videtur quam impostor invenisse. Praeterea non minoris probabilitatis est quod Pilatus regis nomen, quod Judaei affectasse Jesum criminabantur, ludibrio habet verbis his: *πῶς δύναμαι ἐγὼ ἡγεμὼν ὢν βασιλέα ἐξετάσαι.*

Ad II caput transeo. Ibi primum de nuntio uxoris Pilati uberius quam apud Matth. XXVII, 19 explicatur. Ea Thiloni clarissimo non placent, cf. p. 521 sq., nec proselytam uxorem Pilati fuisse aut marito id suo aperuisse, nec Pilatum ea de re sic cum Judaeis collocutum credenti. At haec ex parte pariter contra Matthaei relationem dicta sunt. Quodsi enim illud *πολλὰ παθεῖν δι' αὐτὸν κατ' ὄναρ* verum est, neque minus est credibile matronam illam proselytam portae fuisse. Item si illud quod per noctem ei accidit marito renuntiavit pro tribunali sedenti, neque verosimile est celasse eam marito Judaicis

---

(58) Vide Thilo, p. 792. Prae ceteris cf. Orig. c. Cels. I, 28. I, 38. Hieron. *in Psalm.* LXXXI, 8 (*de Porphyrio*).

sacris se propensam esse. Aut igitur cum Straussio II, p. 520 sqq. totam rem fictam dixeris, aut quae in Pilati *actis* ad Matthaeum adduntur non prorsus aspernanda sunt. Quorum utrum eligat si quis dubitat, videat ne cum multis temere sumat Pilatum crudeliter in Judaeos consulere consuevisse; qua de re recte Josephum secutus Winerus explicuit *Realwörterb.* II, 262. Ceterum non credibile est, nuntium uxoris Pilati ad tribunal accedentem quod sibi mandatum esset palam fecisse; multo credibilius ipsum Pilatum quae ex nuntio audiisset cum Judaeis communicasse, praesertim quum id omnibus modis a condemnatione declinanti opportunum esset. Neque absona fidei est Judaeorum responsio p. 524; eo minus si recte posuimus magicarum etiam artium Christum videri reum esse factum.

In iis quae subsequuntur nescio an pro veris habeam verba Christi quae dicuntur: *Εἰ μὴ εἶχον ἐξουσίαν, οὐδὲν ἐλάλουν. εἷς ἕκαστος ἐξουσίαν ἔχει τοῦ στόματος αὐτοῦ λαλεῖν ἀγαθὰ καὶ πονηρά· αὐτοὶ ὄψονται.* Post vero quae est longa de adulterino Christi conceptu disputatio, tota suspecta est fraudis. Totam auctor invenisse videtur aequalium suorum caussa. Celsum enim quidem ea criminatione usum esse Origenes testatur, quam nullus dubito quin ille ex popularium ore aut scriptis hauserit, quemadmodum in recentiore libro *Toledos Jeschu* similibusque iam antiquioribus legitur; nullum vero vestigium reperitur eam Christi aut apostolorum tempore obtinuisse.

Longe aliter de iis mihi videtur quae exeunte cap. II, ineunte III, item cap. IV. comparanda maxime cum Joh. XVIII, 30—32 leguntur. Hic enim Johannis locus, per se vix intelligendus illis *actorum* locis egregie illustratur. Qua de re accuratius explicandum est. (Supra vide p. 151). Versu 31. Pilatus caussam declinans Judaeos excitat ut ex ipsorum lege Christum morte puniant. Hoc mirum propterea est quod in iis quae praecedunt versu 30, nihil dictum est quod Pilatum ad tale quid provocaverit. Neque enim interpretatio ea satisfacit ex qua Pilati verba ad Judaeos interficere vetitos dicta non sunt nisi ludibrii caussa. Accedit quod versu 32. ex iis quae praecedunt ad ipsum crucis supplicium concluditur, quod quo modo fiat non satis liquet. Jamvero in *actis* p. 534 refertur, Pilatum ab iis qui Christo favebant rescivisse Judaeos ζῆλον habere (v. supra), quod ut satis ad verba Matth. XXVII, 18 conveniens est, ita cum accusatione cohaeret qualem et Luc. XXIII, 1. refert et *actorum* auctor cap. 1 et 4. Talis igitur caussa quae spretam legem Mosaicam, quae blasphemiam spectabat, quum ad ipsorum Judaeorum judicia pertinuerit, verba Johannis: λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν p. 538 planissimum in *actis* nexum habent. His majorem etiam perspicuitatem ea afferunt quae cap. 4. p. 546 leguntur, ubi praegressis Judaeorum verbis: Ὁ νόμος ἡμῶν περιέχει, Ἄνθρωπος εἰς ἄνθρωπον ἐὰν ἁμαρτήσῃ, ἄξιός ἐστι λαμβάνειν τεσσαρά-

κοντα παρὰ μίαν· εἰ δὲ εἰς θεόν, λιθοβολείσθω, Pilatus ait: *Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ οἵῳ βούλεσθε τρόπῳ ἀμύνασθε αὐτόν*, Judaei vero respondent: *Ἡμεῖς βουλόμεθα ἵνα σταυρωθῇ*. Scilicet crucifigendi poenam non poterat nisi praetor decernere; lapidatio vero in caussa sacra ab ipsis Judaeis exercebatur, quamquam Romano imperio subjectis. Praeterea de singulis magna probabilitatis specie se commendant quum quod Judaei peccantem in Caesarem et peccantem in Deum comparant p. 544, tum illud Pilati dictum, quod ironiam sapit: *Ὑμῖν εἶπεν ὁ θεὸς μὴ ἀποκτεῖναι, ἀλλ' ἐμοί*. Contra parum probabilis est illa de templo dissolvendo ac reaedificando accusatio p. 542, laxo cum iis quae sequuntur nexu, male ex Mt. XXVI, 61. huc translata; etsi concedam potuisse accusatorum aliquem cui de caussa sua paene desperandum videretur, illud quoque quod jam coram synedrio tractatum esset arripere. Neque magis credam illud, Jesum de decernenda poena a Pilato interrogatum ad Mosen et prophetas provocasse p. 544.

Exeunte cap. IV est, multos in turba populi circumstante lacrimantes animadversos esse, p. 546. Id ex eodem genere est atque quod Luc. XXIII, 27 plorantes multos Golgotha petentem comitatos perhibet. Nec magnopere dubito quin Pilatus ea quoque re usus sit ut reum dimittendum suaderet.

Ambigua sunt quae cap. V—VIII de amicis ad laudandum ac defendendum reum prodeun-

tibus leguntur. Obtinuisse talem morem et ex lege fori Romani et ex Judaeorum consuetudine, non dubium est. Vide quae THILO citat p. 564. Prae ceteris MÜNTERUS probavit quae hic libellus noster tradit cf. *Probabilia* etc. l. l. p. 330 sqq.; aliter THILO p. 564 sqq. Illud quidem evangelistarum de hac re silentium sane grave est. Accedit quod non prodeunt nisi quos auctor ex evangeliis facili negotio fingere poterat. Tamen nescio an veri subsit aliquid. Quemadmodum enim cruci adstiterunt amici et cognati multi, non refugientes a supplicii ignominia, ita nec defuisse puto qui coram PILATO defendendi partes susciperent. In his primarias partes fuisse NICODEMI, a persona ejus haud alienum est. Quum enim non recusavit cum JOSEPHO ARIMATHIENSI sepeliendi magistri curam suscipere Jo. XX, 39 (59), tum ex defensione CHRISTI, quam coram synedrio suscepit Jo. VII, 50. concludendum est, sensim eum cum majore libertate fiduciam in CHRISTO positam ostendisse. Quod idem innuere videntur JOHANNIS verba: *ὁ ἐλθὼν πρὸς αὐτὸν νυκτὸς τὸ πρῶτον.* Tale enim hominis fidem initium cepisse memorabile erat.

De singulis quae his capp. exponuntur egregie habet illud NICODEMI dictum: *Μὴ. καὶ ὁ ἡγεμὼν μαθητὴς αὐτοῦ ἐγένετο καὶ τὸν λόγον ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖ* p. 554; item quaestio PILATI: *Διὰ τί καὶ οἱ δι-*

(59) Minime probo WINERI de NICODEMO disputationem, *Realwörterb.* II, 152. Nec recte rejici puto universam veterum de NICODEMO traditionem.

διδάσκαλοι ὑμῶν οὐχ ὑποτάσσονται αὐτῷ, cum simplici Judaeorum responso: Οὐκ οἴδαμεν.

Ad cap. 9. pergendum est. Quae de dimittendo homicida Barabba Pilatus ad populum dicit, rem gestam accuratius exprimunt Lucae relatione. In eo quod ipse Pilatus moris unum populo dimittendi in festo paschatis mentionem facit — id quod probabile est — propius ad Joh. XVIII, 39 quam ad Mt. XXVII, 15 et Mc. XV, 6 accedunt. Neque dubito quin similiter atque in *actis* fit p. 566. Pilatus in interrogatione sua Barabbam homicidam et Jesum innocentem alterum alteri opposuerit. Porro cum Johanne XIX, 12 *acta* in eo conspirant quod accusatores Pilati fidem erga Caesarem suspectam reddere faciunt. Qua in re nescio an accuratius sit: ἕτερος δὲ τῶν Ἰουδαίων ἔλεγεν p. 568 quam οἱ δὲ Ἰουδαῖοι ἐκραύγαζον etc. Joh. XIX, 12. Probabile est etiam Pilatum ejusmodi quid respondisse quale est: ἀεὶ στασιαστὸν τὸ ἔθνος ὑμῶν ἐστίν, quamquam quae de benefactoribus populi sequuntur ab eo aliena sunt, exceptis extremis: νῦν καταγγέλλετέ μου ὅτι βασιλέα μισῶ. Quibuscum bene cohaeret quod statim subjungitur: his dictis Pilatum tribunali decedere voluisse, persistentibus vero turbis in eadem Christi accusatione mansisse.

Brevi post haec locum habuit condemnatio Christi. Difficillimum vero est dicere quid maxime Pilatum diu accusatoribus renixum compulerit ut tandem populo morem gereret. In iis quae huc pertinent rursus consimilia sunt

quae in *actis* et quae apud Johannem leguntur. Apud Johannem enim verba illa *ἀκούσας τῶν λόγων τούτων* XIX, 13, aperte praeparant capitalem Pilati sententiam; statim post enim in tribunali ille consedit ut hanc ferret sententiam. Neque quae interposita sunt alio sunt consilio dicta quam ut, quo justiorem judicium formam haberet, populus id quod volebat repeteret atque confirmaret. In *actis* vero, postquam pro illis: *ἀκούσας τῶν λόγων τούτων*, irati praesidis responsio relata est, gravissima sunt illa: *Ἡμεῖς βασιλέα οἴδαμεν τὸν Καίσαρα καὶ οὐ τὸν Ἰησοῦν.* Quae tum sequuntur dicta sunt demonstrandi caussa quam recte Jesum de affectato imperio accusarent. Jam enim Herodem timuisse infantem ut aemulum regni. Quae res in eum modum confirmata, etsi Pilato de culpa Jesu non persuaderet, se enim innocentem ab ejus sanguine proclamat, tamen ejusmodi visa est ut sententia ferri posset.

Haec quidem quae de Herode in medium prolata dicuntur, haud paucis suspecta videbuntur. Admissa tamen plena eorum fide quae Matthaeus tradit capite II, a re non adeo aliena sunt. Succedit quasi haec Herodis mentio in locum ejus quae fit apud Luc. XXIII, 7 sqq. Quam utramque aliquis conjungere possit ita, ut sive in iis quae apud Herodem accusatores proferebant Luc. XXIII, 10, sive potius tum quum Pilatus XXIII, 15 ad populum dicebat neque Herodi Jesum morte dignum visum esse, dicat ab accu-

satoribus prolatum esse, jam infantem Herodi Herodis Antipae patri tantopere fuisse suspectum. Quod si non in mera conjectura positum esset, id quod refert Luc. XXIII, 12, eo die amicos esse factos Herodem et Pilatum, posset inde confirmari, quod mentionem de Herodis patris persecutione valuisse diceres ad Pilati sententiam.

Hoc loco memorabile est quod Pilatus *ἀπέναντι τοῦ ἡλίου* manus suas lavisse dicitur p. 572 (cf. 602), quorum loco Matthaeus *ἀπέναντι τοῦ ὄχλου* habet XXVII, 24. Quod ut ex usu judicum fuisse testatum est (60), ita in epistola imperatoria apud Theodoretum, *hist. eccl.* 4, 7 tum a Pilato factum esse confirmatur. Cui rei simile est quod capite 3. p. 536. Pilatus fertur exclamasse: *Μάρτυρα ἔχω τὸν ἥλιον.* Fuerunt quibus et hoc placeret. Equidem illud probabilitate praestare puto, quum talis obtestatio multo magis in extremam judicii actionem quadret. Hoc vero loco dixeris Pilatum coram Judaeis videri fingi non aliter ac Romanum coram Romanis loquentem.

Rursus vero plura quae extremo cap. 9 leguntur vel perquam dubia vel falsa sunt. Ita quod de velo tribunali obducto legitur, scenae, quemadmodum ex Joh. XIX, 13 cognosci potest, non

---

(60) Cf. Thilo p. 573. Ibidem locus Theodoreti exscriptus legitur. Verba quae maxime huc pertinent sunt: *ἐπιστραφεὶς ἐπὶ τὰ τῆς ἀνατολῆς μέρη καὶ αἰτήσας ὕδωρ ἐπὶ χειρῶν ἐνίψατο αὐτοῦ τὰς χεῖρας.* Illa: *ἐπιστραφεὶς ἐπὶ τὰ τῆς ἀνατολῆς μέρη* ejusmodi sunt ut non ex ipsis his *actis* desumta videantur.

convenit. Sed id non urgendum est; textus enim nostri in voce βῆλον vitio laborare videntur; qua de re alibi videbimus. Item flagellatio in sententia Pilati praecepta substituta videtur in ejus locum quam Johannes non dissentiente Luca condemnationem praegressam et quasi in rei gratiam factam esse testatur. Ea ipsa enim in caussa fuisse videtur cur flagellatio, quae crucifixionem comitari solebat, in Christo non adhiberetur. Confirmant vero *acta* id quod de flagellatione Christi ipse Matthaeus cum Marco aliter ac Johannes retulit. Porro titulus τῶν εὐσεβῶν βασιλέων quam inconveniens esset illa aetate, in sententia judiciali expressus, jam supra significatum est. Denique mirum est quod praecipitur ut Jesus in eo horto quo captus sit figatur cruci. Cujus erroris originem non sine probabilitatis specie indagavit Thilo, p. 580.

Capite 10. ductio ad supplicium et ipsum supplicium narrantur. In his *actorum* auctor non amplius Johannem sed Lucam prae ceteris sequitur. De singulis probabiliter existimare propterea difficile est quod textus antiquorum testium mirum in modum fluctuat, de quo subtilius explicare ab hoc loco alienum est. Inprimis vero duo, eaque non fluctuant, momentum habent. Alterum est quod Christus linteo praecinctus, alterum quod corona spinea capiti imposita in crucem actus esse refertur p. 582. Ac de linteo quidem illo jam supra identidem dictum est. Quaeritur an tale operimentum circa

femora crucifixi adhibitum esse credibile sit. Quod qui negant plurimi ad ARTEMIDORUM 2, 53 provocant, testantem nudos in crucem tolli solitos, quod confirmari volunt loco Matth. XXVII, 35, ubi est vestimenta crucifixi inter milites sorte distributa esse. Operimenti vero, quale in *actis* memoratur, ex Romanorum usibus nuper patrocinium suscepit HUG: *Freiburg. Zeitschr.* VII, 161 sqq. Equidem gravem ejus rei testem duco locum Joh. XXI, 18, qui apte explicari non potest nisi de morte crucis quae PETRUM manebat. Quod si est, verba: ἄλλος σε ζώσει, ad tale linteum spectant, sive id corpori super palum, ubi requiescebat, alligando inserviebat, sive passim ipsius pali loco adhibebatur. Pudoris enim quidem caussa passim adhibitum esse, vix est credibile. Altero loco de corona spinea dicendum est, quam plerique — ut supra notatum est — pariter ac linteum ex pictorum usu auctorem assumsisse existimant. Memoratur ea tribus evangeliorum locis: Mt. XXVII, 29. Mc. XV, 17. Jo. XIX, 2. Hi loci eo differunt quod Mt. et Mc. coronam spineam CHRISTO impositam esse volunt antequam ad crucifigendum deduceretur, sed postquam sententiam PILATUS jam tulisset; contra JOHANNES id multo ante factum esse docet, quum PILATO adhuc absolvendi rei consilium esset. Quaeritur igitur an ea corona capiti rei imposita ante crucifixionem rursus detracta sit. Hoc diserte nullus evangelistarum dicit, neque ex contextu apud Mt. XXVII, 31 et Mc. XV, 20

certo concludi potest. In *actis* vero tum demum quum in crucem ageretur Christus coronam ei milites imposuisse dicuntur. Hoc aut minus accurate dictum est et cum Matthaeo convenit, quandoquidem is non dicit coronam de capite Jesu rursus detractam esse; aut ad evangelicos commentarios hoc novum addit quod ludibrium illud in regem Judaeorum in ipsa crucifixione a militibus repetitum docet. Utrumque ambiguum est; tamen quam conveniens fuerit cum regis titulo in cruce posito, facile patet.

Capite 11. *acta* maxime Lucam sequuntur. Solem obscuratum ac velum templi scissum commemorant cum tribus Synopticis, tacente Johanne; non item terrae motum nec aperta sanctorum sepulcra, quod utrumque unus Matthaeus testatur. Ad Lucae textum XXIII, 46—49 *actorum* auctor de suo addit, centurionem de mirabilibus omnibus quae in Golgotha accidissent Pilatum certiorem fecisse, quibus auditis Pilatum et uxorem vehementer contristatos esse; item Judaeos Pilato de prodigiosis tenebris quaerenti respondisse, solem ut saepe defecisse. Quorum illud haud improbabile est collato Mc. XV, 44 sq., nisi quod in *actis* centurionis relatio prius ponitur quam revera facta sit. Haec vero Judaeorum de tenebris explicatio, quamquam jam Tertulliano (cf. *Apolog.* 21) innotuit, posteritatis judaicae commento deberi videtur. Exeunte capite 11 memoratu dignum est, Nicodemi partes in sepeliendo Domino non commemorari.

Praeterea cap. seq. p. 600 in oratione Josephi Arimathiensis etiam lateris lancea percussi mentio fit. Cf. etiam cap. 16. p. 664.

Inde a capite 12 *acta* Pilati multa sunt in narrandis Josephi Arimathiensis rebus. Hunc non modo corpus Domini crucifixi in horto suo cum honore sepelivisse, sed etiam audacter cum Judaeorum principibus de Jesu tam turpiter supplicio tradito expostulasse faciunt; tum vero quum a Judaeis carcere inclusus mortique destinatus esset, divinitus per Jesum redivivum liberatum ipsis acerrimis adversariis gravem testem exstitisse de mirabili Jesu in vitam reditu. In quibus fabulosa esse pleraque dubium non est, etsi auctoris consilio maxime satisfacere visa sunt. Illud tamen vix dubito quin Josephus, quem a synedrio in accusando Christo dissensisse diserte testatur Lucas, et insidiis collegarum obnoxius fuerit et ipse caussam suam confidenter dixerit. Tam grave enim flagitium a synedrio in Christum commissum ejusmodi erat ut discipulum timidum (Joh. XIX, 38) aut prorsus repelleret aut audacem redderet. Synedristas vero tam cruento triumpho de adversario acto haud credibile est crucifixi discipulo atque amico amicitiam prae ceteris palam profitenti eique ex suorum collegarum numero pepercisse. Atque haec quidem de Josepho. Nicodemum vero quae spectant, et exigua sunt et ex parte etiam fabulosiora. Ex hoc genere tota est historia de tribus viris Galilaeis ascensionis Domini testibus; item quae

est de nuntiis in montes Judaeae quaerendi Jesu redivivi caussa missis.

Sed redeundum est ad sepulcrum Christi. Hoc a militibus custoditum *acta* tradunt cum Matthaeo, quem eundem in iis sequuntur quae ipsam resurrectionem spectant. Ineptum vero est quod pleraque quae ad sepulcrum accidisse Matthaeus narrat in *actis* custodes ad sacerdotes referunt. Item cum Matthaeo *acta* testantur custodes sepulcri pecunia corruptos, ipsis verbis Matthaei maximam partem repetitis. Quibus quae accedit Annae et Cajaphae ad sollicitos criminis socios oratio p. 628, nonnulla habet probabilitatis specie haud destituta, quale est quod quos ipsi corrupissent eosdem jam a discipulis Jesu corruptos videri dicunt.

De iis quae p. 622 prorsus ad modum Marci sive quod malo Pseudo-Marci XVI, 16 sqq. scripta leguntur, jam supra expositum est.

APPENDIX CRITICA.

Evangelia apocrypha, inprimis graeca et latina, quum saepe a pluribus edita sunt, tum nuper praeclara clarissimi THILONIS studia subierunt. Hinc textus eorum plerisque nunc ii citantur qui ab illo constituti vel recepti sunt. Quorum de bonitate, si cum FABRICII aliorumque editionibus comparas, non est quod detraham. Sed multum abest ut cum tanta probabilitate recensitos putem quanta ex antiquis testibus peti possit. Quod quum dudum persuasum haberem, ad id adnixus sum ut excutiendis codicibus, qui adhuc in bibliothecis potissimum italicis delituerant, novum conquirerem apparatum quo critica circa hos libros studia ad perfectionem quandam perducerentur. Quibus de opibus criticis nunc breviter ita disseram ut probem, quanta spes sit emendandorum inde textuum qui editi sunt (1).

§. 1.

Primum igitur *evangelium Pseudo*-JACOBI qua textus sit bonitate, quaeritur. Quo in edendo

(1) Nuperrime nova librorum Novi Testamenti apocryphorum editio jam a me suscepta est. Propediem prodibunt *Acta apostolorum apocrypha* ex triginta antiquis codd. graecis vel nunc primum eruta vel secundum atque emendatius edita. Secutura sunt evangelia et apocalypses.

aliud exemplar antiqua manu scriptum secutus est Fabricius, aliud ante Fabricium Postellus, aliud nuper Thilo, aliud nuperrimus editor Suckovius. Manuscriptorum codicum plures et ipse vel descripsi vel contuli. Est in his etiam ille Venetus, quem Suckovius tantis effert laudibus ut anteponat reliquis omnibus. Qua in re a Suckovio haud dissentio, sed nihil unquam hoc textu infelicius editum est, neque enim ille scripturam antiquam valebat legere. Quod ne inique dicere videar, auctore ipso »operam animi oculorum manus" impensam operi vehementer commendante, aliquot capita ad ea judicabimus quae ipsi e codice hausimus, una passim adnotaturi quae in codicibus antea nondum collatis invenimus.

Του ἁγιου ἀποστολου ἰακωβου ἀρχιεπισκοπου ἱεροσολυμων του ἀδελφοθεου διηγησις περι της γεννησεως (Suck. male: *γενησεως*) *της παναγιας θκου και ἀει παρθενου μαριας* (2).

Ἐν ταις ἱστοριαις των δωδεκα φυλων του ἰηλ ἠν ἰωακειμ πλουσιος σφοδρα· (Ambros. C 92: *ἠν τις ἀνηρ πλουσιος σφοδρα· ὀνομα ἰωακειμ.*) *και προσεφερε τα δωρα*

(2) Codd. Ven. duo alii: 1) *λογος ἱστορικος εἰς το γενεσιον της ὑπεραγιας θκου· συγγραφεισα παρα ἰακωβου τοῦ ἀδελφου του κυ:* 2) *ἱστορια παλαια συγγραφησα* (sic) *παρα τινος παλαιου ἀνδρος ἰακωβου εἰς τον δικαιον ἰωσηφ και εἰς την μαριαμ· περι της γεννησεως του χυ:* — Cod. Ambros. A 63. *λογος ἱστορικος δηλων την συλληνψιν και ἀποτεξιν της ὑπεραγιας θκου και ἀει παρθενου μαριας:* — Cod. Ambros. C 92: *του ἁγιου και πανευφημου ἀπ. ἰακωβου ἐπισκοπου ἱεροσολυμων λογος εἰς το γενεσιον της ὑπεραγιας δεσποινης ἡμων θκου.*

αὐτου διπλα λεγων· ἐσται της περιουσιας μου παντι τω λαω και το της ἀφεσεως μου κω (SUCK. κω praetermisit, fictamque lectionem suam docte commentatur) εἰς ἱλασμον ἐμοι. ἠγγικεν (ita etiam AMBROS. A 63; Ven. alius et AMBROS. C 92 ἠγγισε) δε ἡ ἡμερα κυ ἡ μεγαλη, και προσεφερον οἱ υἱοι ἰηλ τα δωρα αὐτων. και ἐστη κατεναντι κυ (alii duo: αὐτου; AMBROS. C 92: κατενωπιον του ἰωακειμ) ἀνηρ ἐκ φυλης ῥουβιμ (AMBROS. C 92: ὁ ῥουβιμ. AMBROS. A 63 et Venet. 363 ῥουβιμ omissis ἀνηρ ἐκ φυλης) λεγων τω ἰωακειμ· οὐκ ἐξεστιν σοι προτερον (SUCK. πρωτον; AMBROS. A 63: πρωτος) προσενεγκειν τα δωρα (Venet. 363: το δωρον) σου καθοτι σπερμα οὐκ ἐποιησας ἐν τω ἰηλ. (pergit Venet. 363: και ἀπηει εἰς την δωδεκαφυλον του ἰηλ, λεγων ἐν ἑαυτω· πορευθεις θεασομαι την δωδεκαφυλον του ἰηλ. και ἀπελθων ἠρευνησε etc. Similiter AMBROS. uterque) και ἠρευνησε και εὑρε παντας τους ἁγιους διδοντας σπερμα ἐν τω ἰηλ. (SUCK. om. σπερμα) και ἐμνησθη ἰωακειμ του πριαρχου ἀβρααμ ὁτι ἐπ ἐσχατου των χρονων ἐδωκεν αὐτω ὁ θς υἱον τον ἰσαακ. και ἐλυπηθη ἰωακειμ σφοδρα και οὐκ ἐνεφανησεν (i. e. ἐνεφανισεν. SUCK. mirum in modum errans ἐνεφάνη σὺν, idque ipsum quod prorsus ineptum est opinatur rectum esse.) τη γυναικη αὐτου, ἀλλ' ἐδωκεν ἑαυτον εἰς την ἐρημον και ἐπηξε την σκηνην αὐτου. και ἐνιστευσεν τεσσαρακοντα ἡμερας και τεσσαρακοντα νυκτας, λεγων ἐν ἑαυτω· οὐ καταβησωμαι (SUCK. male legit καταβησομαι) οὐτε ἐπι βρωτον οὐτε ἐπι ποτον· ἑως οὗ ἐπισκεψεται (SUCK. male legit ἐπισκέψαι) με κς ὁ θς· και ἐσται ἡ εὐχη μου βρωσις και ποσις.

Cap. II.

Ἡ δε γυνη αὐτου ἀννα δυο (SUCK. male *δυω*) *θρινους ἐθρινει και δυο* (SUCK. rursus *δυω*) *κοπετους ἐκοπτετο λεγουσα· τι ποιησω· κοψομαι τη χειρια μου*, (Venet. 363 *λεγουσα· κοψομαι την χηρωσυνην μου*) *και κοψομαι τη ἀτεκνια μου* (Venet. 363: *κοψ. και την ἀτ. μ.*). *ἠγγισεν δε ἡ ἡμερα κυ ἡ μεγαλη και εἰπεν ἰουθ* (Venet. 363 pro *ἰουθ* habet *αὐτῇ*) *ἡ παιδισκη* (SUCK. *παιδισκα!*) *αὐτης· ἑως ποτε ταπεινης την ψυχην σου· ἰδου ἠγγισεν* (Venet 363 *ἠγγικεν*) *ἡ ἡμερα κυ ἡ μεγαλη, και οὐκ ἐξεστιν σοι πενθειν· ἀλλα λαβαι το κεφαλοδεσμιον ὁ ἐδωκεν μοι ἡ κυρια του ἐργου και δησαι αὐτω· ἐμοι γαρ οὐκ ἐξεστι* (Ven. 363: *οὐκ ἐξεστι γαρ μοι*) *δησαι αὐτω, ὁτι χαρακτηρα ἐχει βασιλικον* (Ven 363: *ἐχει τουτο βασιλικον*), *και παιδισκη* (SUCK. rursus *παιδισκα*) *εἰμι. και εἰπεν ἀννα· ἀποστηθι ἀπ' ἐμου* (SUCK. *ἀπὸ ἐμοῦ*), *και ταυτα οὐκ ἐποιησα*, (SUCK. sibi finxit *ἐποιήσω*) *και κσ ἐταπεινωσε με· μηποτε πανουργως* (sic, non ut SUCK *πανοῦργος*) *ἐδωκεν σοι αὐτω*, (Ven. 363: *μηπως τουτο πανουργως ἐδωκε σοι τις*) *και ἠλθες κοινωνησαι με* (Ven. 363: *καμε κοινωνησαι*) *τη ἁμαρτια σου. και εἰπεν ἰουθ·* (Ven. 363: *οὐθένη*) *τι ἀρασομαι σοι, καθοτι κς* (Ven. 363: *καθοτι οὐκ ἠκουσας της φωνης μου, και ἰδου συνεκλεισεν κς ὁ θς*) *ἀπεκλησε την μητραν σου του μη δουναι σοι καρπον ἐν ἰηλ και ἐλυπηθη ἀννα σφοδρα και ἐκοπτετο κοπετον* (SUCK. male *κοπτον* legit) *μεγαν, ὁτι ὀνειδισθη ἐκ πασων των φυλων ἰηλ. και ἐν αὐτη γενομενη* (sic, non ut SUCK. *συνομενη*) *εἰπεν· τι ποιησω.* Seqq. usque *περιπατησαι* SUCK. recte dedit. *και ἰδουσα δαφνηδαιαν* (SUCK. male *δαφνηδειαν*; Ven.

363: δαφνιδα.) ἐκαθισεν ὑποκατω αὐτης, καὶ ἐλιτανευσεν τον δεσποτην (Suck. δεσπόταν!) λεγουσα. Reliqua recte Suck.; Venet. 363 habet: ὁ θ̄ς των πρων ἡμων, μνησθητι μου και εὐλογησον με καθως etc.

Cap. III.

Και ἀτενησασα (male Suck. ἀτενήσατο) μετα δακρυων εἰς τον οὐρανον, εἰδε καλιαν στρουθιον ἐν τη δαφνηδαια (Ven. 363: δαφνη) και ἐθρινησεν (Ven. 363: ἐποιησεν ἀννα) θρινον ἐν ἑαυτη λεγουσα· οἴμοι, τις με ἐγεννησεν· ποια δε μητρα ἐτεκε με· ὅτι ἐγω μονη καταρα ἐγεννηθην (Ven. 363: ὅτι καταρα και ὀνειδος ἐγενηθην) ἐνωπιον των υἱων ῑη̄λ. και ὀνειδισθη (sic, quod corrigendum ὀνειδισθην; perperam Suck. ὀνειδισαν. Ven. 363: ὠνειδισθην) και ἐξεδιωχθην (Ven. 363: ἐξεμυκτηρισαν με) ἐκ ναου κ̄υ. Sequentia Suck. recte, nisi quod constanter cod. γονυμα habet, et quod est της γης· οὐχ ὁμοιωθην αὐτα (non αὐτοῖς).

Cap. IV. v. 14. Suckovius: ἠλθεν ἀγγελος..... ἰδου, at est idque ad legendum haud difficile: ἠλθον ἀγγελοι δυο λεγοντες αὐτη· ἰδου. Hinc concidit mira conjectura Suckovii. Versu 29 est καλους και ἁπαλους, Suck. omisit και. Versu 30 sqq. Ven. 263 habet: και δραμουσα ἐκρεμασθη εἰς τον τραχηλον αὐτου και εἰπε νυν οἰδα ἀληθως ὅτι. Idem post habet οὐκ ἠν χηρα et ἐν γαστρι εἰληφα. Cap. V. v. 1 est προςέφερε, non, ut Suckovius, προςεφέρετο; v. 7 και οὐκ εἰδεν, non και οὐκ οἰδεν. Postea invito Suckovio recte δεδικαιωμενος et πληρωθεντων leguntur. Cap. VI. v. 2 est ἐξαμηνιαιον, non ἀμηνιαιον. Cap.

XXIV. v. 11. Suck. male *περὶ τοῦ ἁγιαστηρίου* pro *περὶ τὸ ἁγιαστήριον*. Cap. XXV legit *δοκα* pro *δοξα*.

Extrema verba in cod. Ven. 363 sic leguntur: *ἐγω ἰακωβος ὁ συγγραψαμενος την ἱστοριαν ταυτην ἐν ἱερουσαλημ· θορυβου γενομενου, ὁτι ἐτελευτησεν ἡρωδης, συνεστειλα ἐμαυτον ἐν τη ἐρημω ἑως κατεπαυσεν ὁ θορυβος· δοξαζων τον θν τον δοντα μοι την δωρεαν και την σοφιαν του γραψαι την ἱστοριαν ταυτην. ἐστω δε ἡ χαρις μετα των φοβουμενων τον κν ἡμων ιν χν. ὡ ἡ δοξα και το κρατος εἰς τους αἰωνας των αἰωνων, ἀμην.* — Cod. Ambros. A 63 sic: *ἐγω δε ἰακωβος ὁ συγγραψαμενος την θαυμαστην ταυτην ἱστοριαν ἐν ιλημ· θορυβου γεγονοτος ὁτε ἡρωδης* (cod. Ven. XX. cl. XI addit *πικρω θανατω*) *ἐτελευτησε· συνεστειλα ἐμαυτον ἐν τη ἐρημω ἑως οὑ κατεπαυσε τελειως ὁ θορυβος·* (Ven. XX. cl. XI. addit *ἐν ιλημ·*) *και ἡμην δοξαζων και ὑμνων τον θν τον την δωρεαν και σοφιαν δεδωκοτα μοι* (Ven. XX. cl. XI *δοξαζω δε τον δεσποτην θν τον δοντα μοι την συνεσιν και την σοφιαν*) *του συγγραψαι την ἱστοριαν ταυτην. ἐστω δε ἡ χαρις μετα παντων των φοβουμενων* etc. Cod. Ambros. C. 92: *ἐγω δε ἰακωβος ὁ γραψας την ἱστοριαν ταυτην ἐν ἱεροσολυμοις θορυβου γενομενου, ὁτε ἀπεστειλεν ἡρωδης στρατιωτας ἀποκτινε τα βρεφη ἐν βηθλεεμ· ὑπεστηλα και ἐκρυψα ἐμαυτον ἀχρις οὑ κατεπαυσεν ὁ θορυβος. χαιρω δε και δοξαζω τον θν τον δοντα μοι συνεσιν του γραψαι την ἱστοριαν ταυτην· ὁτι αὐτω πρεπει πασα δοξα, τιμη και προςκυνησις, τω πρι και τω υἱω και τω ἁγιω πνι, νυν και ἀει και εἰς τους αἰωνας των αἰωνων ἀμην.*

§. 2.

Evangelia duo latina quod attinet, potissimum

id quod et *nativitatem* Mariae *et infantiam Salvatoris* complectitur, in codicibus maxima conspicua est lectionis varietas, in qua quid antiquissimum sit, haud facile dictu est. Ac dubitare licet an si quis accuratius de singulis verbis videre velit, operae sit pretium facturus; gravitas enim, si qua his scriptis est, non tam in verbis quam in rebus cernitur. Tamen ad haec quoque emendatius edenda nova ex industria subsidia conquisivimus. De quibus exempli caussa afferam, quae ad initium pertinent evangelii *de nativitate* Mariae *et infantia Salvatoris*. In Vaticano codice istud sic legitur: » In diebus illis erat vir in Jerusalem nomine Johachim de tribu Juda. Hic erat pastor ovium suarum, timens Dominum in simplicitate et bonitate sua; cui nulla erat alia cura nisi gregum suarum, de quarum fructibus alebat omnes timentes Deum, et duplicia offerens in timore Dei munera in doctrina laborantibus, iis qui ministrabant ei. Ergo sive in agnis sive in ovibus sive in lanis sive in omnibus rebus suis, quascunque possidere videbatur, tres partes faciebat. Unam partem dabat orphanis, viduis et peregrinis atque pauperibus. Alteram vero partem dabat colentibus Deum. Tertiam partem sibi et omni populo domui suae reservabat. Haec autem eo faciente multiplicabat ei Dominus greges suas ita ut non esset homo similis illi in populo Israel. Hoc itaque inchoavit facere quindecim annorum habens aetatis. Cum esset viginti annorum ac-

cepit ANNAM filiam YSACHAR uxorem ex tribu Juda, id est de genere DAVID. Cumque simul permansissent per annos viginti, filios aut filias ex ea non habuit. Factum est ut in diebus festis inter eos qui offerebant incensum Domino staret JOHACHIM munera sua parans in conspectu Domini. Et accedens ad eum sacerdos nomine RUBEN dixit etc. — Satis ab his differunt quae Laurentianus codex offert. Ea sic habent: In diebus illis erat vir in Jerusalem nomine JOACHIM ex tribu *Juda*. Hic erat pastor ovium, timens Dominum in simplicitate et bonitate sua; cui nulla erat alia cura quam gregum suorum, de quorum fructu alebat pauperes et timentes Deum, haec munera offerens simpliciter. Nam omnem substantiam suam trifarie dividebat, unam partem templo et templi sacerdotibus impertiebat; aliam partem peregrinis et pauperibus erogabat; tertiam sibi et familiae suae usui reservabat. Ita Domino justus et hominibus pius videbatur. Haec eo faciente multiplicabat Deus gregem suum, ita quod non erat ei similis in populo Israel. Hoc autem inchoavit facere cum esset aetatis XV annorum. Cum esset JOACHIM XXX annorum, accepit ANNAM filiam AGAR in uxorem ex tribu sua, videlicet ex genere DAVID. Cumque morati fuissent simul per annos viginti, castum domi conjugium suum liberorum procreatione exercebant. 'Voverunt tantum, si Deus daret eis sobolem, eam se templi servitio mancipaturos; cujus rei gratia et templum Domini singulis

festis per annum frequentare solebant. Factum est autem cum enciniorum festivitas appropinquaret, Joachim cum nonnullis contribulibus suis Jerusolimam ascendit. In ea festivitate ibi pontifex erat; qui cum ceteros cives suos et Joachim cum oblatione videret anstantem, despexit etc.

§. 3.

Ad Thomae *evangelium* transeo. Hoc graece scriptum in paucis codicibus exstare refertur. Thilo quidem duos sat recentes secutus est; alterum Bononiensem saeculi XV, alterum Dresdensem XVI saeculi. Ante Thilonem jam Cotelerius, quem Fabricius aliique exceperunt, fragmentum e codice Parisiensi evulgaverat. Vindobonensis quidam innotuit, sed dudum periit. Nuperrime vero in annalibus Vindobonensibus idem evangelium e codice montis Sinaitici [a me ipso] editum est, cujus textum non dubito praeferre alteri in reliquis codicibus obvio. Hujus rei has caussas habeo: 1) textus Sinaiticus et dictionis et compositionis convenientia praestat; 2) majorem offert singularum partium cohaerentiam; 3) pluribus rebus caret ejusmodi quae secundam aliquam manum prodant.

Ad 1) confer ipsum exordium. Rectius enim in illo legitur τα παιδικα μεγαλεια (cum quibus verbis cohaeret libelli inscriptio quae et ipsa fluctuat), quam in tribus reliquis: τα παιδικα και μεγαλεια. Cf. Anastas. *Sinait. Hodeg.* XIII:

τὰ λεγόμενα παιδικὰ θαύματα τοῦ Χριστοῦ; item Euthym. *Zig.* ad Jo. II, 11: τοῖς λεγομένοις παιδικοῖς θαύμασι τοῦ Χριστοῦ. Nec male vero Vindob. cod., quem nunc frustra quaerunt, nil nisi τὰ παιδικα habet. Nimirum quod apud Timotheum presb. Constantinopol. in catalogo librorum Manichaicorum liber θ' τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον a libro ιγ' τὰ παιδικὰ λεγόμενα τοῦ Κυρίου distinguitur, id cum Thilone ex errore interpolatoris ortum existimo. Cf. Thilo *Cod. apocr.* LXXXIII sq. Porro ἀναστρεφόμενος σωματικῶς ἐν πόλει Ναζαρέτ prae illis placet: γεννηθεὶς ἐν τῇ χώρᾳ ἡμῶν, sive additis sive omissis ἐν τῇ βηθλεέμ. Etiam narrationis initium Μιᾷ τῶν ἡμερῶν βροχῆς, praemissis in exordio: ἐλθὼν ἐν etc. praetulerim iis quae reliqui codices praebent. Ut unum addam: quae de institutione pueri per Zacchaeum leguntur, ea in Sinaitico magis quam in reliquis ad ea quadrant quae ex libro Marcosiorum Irenaeus affert, quamquam nec sic omnia liquent. Ad 2) exempli caussa cf. quae statim ab initio de Annae filio interveniente Jesu aquas congreganti narrantur. 3) quod attinet, in Sinaitico puer non ter ut in reliquis textibus ad discendum traditur; iteratio vero interpolationis suspicionem movet. Item recte a Sinaitico abest caput XIX vulgati textus, quod cum miraculis ante relatis parum concordat et ab interpolatore quamvis antiquo — jam enim a Georgio Syncello lectum esse videtur (3) — ex

(3) Cf. *Chronograph.* p. 601. ed. Bonn. ἰστέον ὅτι διάφορα εὐαγγέλια γέγραπται, ἐξ ὧν τέσσαρα μόνα κέκριται τοῖς μακα-

Lucae evangelio paucis mutatis additum est. Neque tamen Sinaiticum textum in posteriore evangelii parte integrum habeo. Quantum enim de his Thomae fabulis, quemadmodum graeco textu traditae sunt, perierit, judicari potest ad numerum versuum 1800 (στιχων ϙτ′), quem evangelium Thomae in stichometria antiqua ad calcem Chronographiae Nicephori patriarchae explere dicitur.

§. 4.

Praeter graecum textum etiam de *latino* videndum est. Talem Thilo reperit (cf. Prolegg. ad *Acta* Thomae p. xxvi sqq. et Prolegg. *Codicis apocr.* p. cix sqq.) adjunctum in cod. Parisiensi evangelio *de nativitate* Mariae *et infantia Salvatoris.* Quem quum a graeco non differre vidisset nisi inepta fabularum amplificatione insuperque haud paucos locos offendisset a librariis ita depravatos ut sensum verborum ne divinando quidem assequi posset, ab edendo abstinuit. Quod non recte ille fecit, nisi difficultati legendi cedendum erat. Aut enim apocryphorum ejusmodi scriptorum nihil est studiorum luce dignum, aut quicquid in antiquis libris mss. reperitur religiose edendum. Ille vero Parisiensis

ρίοις ἀποστόλοις ἐκκλησιάζεσθαι, καὶ ἄλλοις παιδικὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν συγγέγραπται, ἐν οἷς αἱ μέχρι δωδεκαετοῦς χρόνου τῆς κατὰ σάρκα ἡλικίας αὐτοῦ τούτων αἰώνων ποιητοῦ ἐμπεριφέρονται θαυματουργίαι.

codex eo majore accuratione tractandus erat, quum graecum textum perquam mancum non uno loco supplere posset. Sed jacturae reparandae spes est. Et nos enim in Vaticanis libris codicem satis antiquum invenimus Parisiensi consimilem, nisi quod de lectione ejus non desperandum esset. Integrum descripsimus et edendum curabimus. Ibi totum evangelium divisum est in capp. XLIII, quorum XVII infantiam Jesu a quarto inde aetatis anno tractant.

Praeterea in eodem codice Vaticano habetur: Tractatus de pueritia Jesu secundum Thomam, capitibus quindecim totidemque titulis, qui certe a quarto inde capite, ubi ex *evangelio* Thomae diserte se haustum profitetur, inter antiquos hujus evangelii testes numerandus est. Verba quae quartum caput praecedunt sic habent: » Gloriosum est enarrare Thomam Israelitam et apostolum Domini et de operibus Jesu postquam egressus est de Egypto in Nazareth. Intelligite omnes, fratres carissimi, quae fecit Dominus Jesus quando fuit in civitate Nazareth, quod in primo capitulo." Capitum vero tituli in hunc modum scripti sunt: 1. Quomodo Maria et Joseph fugierunt cum eo in Egyptum. 2. Quomodo Maria (legendum est: magister) ejecit eum de civitate. 3. Quomodo Jesus egressus est de Egypto. 4. Quae fecit Dominus Jesus in civitate Nazareth. 5. Quomodo cives contristati sunt adversus Joseph pro factis Jesu. 6. Quomodo tractatus est Jesus in agro. 7. Quomodo Jesus resuscitavit puerum.

8. Quomodo Jesus sanavit pedem pueri. 9. Qualiter Jesus attulit aquam in pallio. 10. Quomodo Jesus seminavit triticum. 11. Quomodo Jesus adaequavit lignum brevius longiori. 12. Qualiter Jesus traditus est ad discendum litteras. 13. Quomodo alio magistro traditus est. 14. Quomodo Jesus liberavit Jacob a percussione serpentis. 15. Quomodo Jesus resuscitavit puerum. In fine post »Amen" haec leguntur: »Post haec omnia Thomas Ismaelita (corrige: Israelita): Scripsi quae vidi et recordatus sum, gentibus et fratribus nostris, et multa alia quae fecit Jesus qui natus est in terris Judae. Ecce, omnia vidit domus Israel, a primo usque ad novissimum, quanta signa et mirabilia fecit Jesus ipsis valde bona."

Speciminis caussa scripturae hujus Vaticanae nota quod recte habet »apprehendit *auriculam* ejus" et »*rejecta* salem," non ut Parisiensis Thilonis »apprehendit *amiculum* ejus" et »*rejacta* sal;" (cf. *Cod. apocr.* pag. cx. sub 105). Item praestant: »Ut autem exiit Joseph de Egypto post mortem Herodis, tulit eum," quam: »Ut autem intellexit Joseph quia venit Jesus de Egypto post mortem Herodis, tulit eum."

Testem denique novum eumque satis memorabilem textus latini *evangelii* Thomae in antiquissimis foliis membranaceis palimpsestis bibliothecae Vindobonensis reperi. De paucis quae legi haec habe:

Infantes plu
rimi ludebant
cum eo et cum
vidisset eum
quidam jude
us cum infan
tibus haec fa
cientem per
venit ad jo
seph patrem...

——

Accessit ad in
fantem ihm et
monebat illum
dicens utquid
hec facis et do
lent isti et odiunt
nos et dixit in
fans ihs si non
sapientes e
rant sermo....

——

et restitu
·ti sunt omnes
qui sunt male
dicti et nemo
ei audebat vile
facere et una
dierum ihs
sabbato lude
bat cum infan
tibus in solario
et unus de infan
tibus cecidit
et mortuus est
et cum vidis
sent ceteri in
fantes fugerunt
et conpraensus...

§. 5.

Jam ut praetereamus *duo arabicos textus* quos non attigi, reliquum est ut de iis explicemus quae in describendis ultimis Jesu fatis versantur. Huc primum pertinent tria a Thilone edita: 1) *evangelium* Nicodemi quod plerumque dicitur; 2) Pilati *relatio;* 3) Pilati *paradosis.* Huc accedit 4) ille Josephi *ab Arimathia liber* de Jesu morte ac duobus latronibus, cujus graecum textum Birchius in *Auctario* suo exhibuit, Thilo vero in collectionem suam non recipiendum duxit; item 5) historia latina: »*de passione Domini*" inscripta, quam primi et ut videtur soli ediderunt Togginius 1742 et Mansi 1764 (cf. Thilo Prolegg. *Cod. apocr.* cxxxvii). Haec ita recenseam ut ab ultimis exordiar.

Historiam igitur *de passione Domini*, quae ab homine latino inventa videtur, breviter tractat Thilo in Prolegg. *Actorum* Thomae p. xxxiv sq. et *Codicis apocr.* p. cxxxviii. Collectam censet ex *evangelio* Nicodemi, *actis* Petri *et* Pauli aliisque libris apocryphis, sed alienam ab evangeliorum numero. Hinc nec in Codicem suum recepit. Quod quum jure suo fecisse videatur, nec nos ad quaestionem de evangeliis adhibuimus. Codices vero invenimus ac descripsimus tres, unum Marcianum, duos Ambrosianos, quorum argumentum ab editis et iis quae Thilo excerpsit parum differt, non item scriptura. Ceterum nescio an quae a Fabricio *Cod. apocr.* tom. III. p. 486 laudatur »Nathanis Judaei legatio ad Tiberium Imp.," anglosaxonice in bibliotheca Bodlejana asservata, plane eadem fabula sit ac nostra, ex latinis hausta codicibus.

Nec magis ad disputationem nostram adhibuimus *historiam* alteram *sub* 4) notatam, quae sine dubio ex *evangelio* Nicodemi fluxit, inepte amplificatis iis quae tradit de duobus latronibus. In hanc vero acrius quam rectius video doctissimum Thilonem invehi in Prolegg. *Cod. apocr.* p. cxxii. Sane enim pessima est Birchii editio, sed ab hac prorsus discedendum est, si quis de vero textu quaerit. Commemorat ille l. l. codicem Ambrosianum, in quo quam sub Josephi Arimathiensis nomine narrationem exstare Montefalconius refert, eam eandem esse vidi quam Birchianam. Cujus ope quantopere quae Bir-

chius evulgavit corrigenda sint, ex paucis patebit quibus incipit. Sunt enim haec: *Ἡφυγησις* (i. e. *Ὑφηγησις* confusis *η* et *υ*; inepte Birchius *Ἡ διηγησις*) *ἰωσηφ του ἀπο ἀριμαθαιας του αἰτησαμενου* (Birch. *ηττησαμενου!*) *το σωμα του κυ ἡμων ἰυ χυ· ἐν ῷ* (B. *το σωμα κυριου, παραδωσεως ἐν ῷ!*) *και τας των δυο λῃστων αἰτιας ἐμφερει* (B. *ἐνφερειν!*). *Ἐγω ἰωσηφ ὁ ἀπο ἀριμαθαιας ὁ αἰτησαμενος παρα πιλατου το σωμα του* (B. om. *του*) *κυ ἰυ προς ταφην και* (B. om. *και*) *ἐν δεσμω πιεζομενος* (B. *πιαζομενος*) *παρα των φονεων και θεομαχων ἰουδαιων* (B. *ἀνθρωπων ἰουδαιων*) *δια την τοιαυτην αἰτιαν οἵτινες και* (B. *κατα!*) *τον νομον μωυσεως κατεχοντες αὐτω τω μωυση προξενοι γεγονασιν θλιψεως* (B. addit *αἰωνιου*)· *τον δε* (B. om. *δε*) *νομοθετην παροργισαντες και μη ἐπεγνωκοτες* (B. *ἐπιγνωκοτες!*) *τον θν ἐσταυρωσαν και ἀδηλον* (B. *εὐδηλον*) *ἐθεντο τοις ἐγνωκοσι τον θν. ἐν ἐκειναις ταις ἡμεραις, ἐν αἷς κατεκριναν τον υν του θυ σταυρωθηναι, προ ἑπτα ἡμερων του παθειν τον χν τω ἡγεμονι πιλατω παρεπεμφθησαν* (B. *παραπεμφθηναι!*) etc. *Ὁ πρωτος, ὀνομα αὐτω* (B. *ὀνοματι*) *γεστας, ὁδοιπορουντας* (B. *ὁδωρουντας!*) *ἐν φονω μαχαιρας ἀπεκτεινεν* (B. *ἀπεκτενον!*), *ἀλλους δε ἐν γυμνωσει* (B. *ἐν γυμνωσῃ!*) *ὑπεβαλεν* etc.

Porro »*relatio* Pilati" insignienda est nomine appendicis ad Nicodemi *evangelium* sive ad ea quae ibi latere censentur *acta* Pilati, quemadmodum antiqui celebrant, ita ut *acta* sub Pilato conscripta differre existimentur ab iis quae ipse suo nomine ad Caesarem retulerit. Quod discrimen *τῶν ὑπομνημάτων* sive *ἄκτων πιλάτου* atque *τῆς ἀναφορᾶς πιλάτου* diserte agnoscit textus relationis is

quem FABRICIUS et BIRCHIUS e codice Parisiensi ediderunt, THILO vero in adnotatione tantum adhibuit. Ibi enim quae vitiosissime et absque idoneo sensu edita sunt: » Ὁ δὲ πιλᾶτος μετ' οἰκίας (FABRIC. μετοικίας) αὐτοῦ ἀναφορὰν ἐξέπεμψεν αὐτοῦ (FABRIC. αὐτῷ) τῷ καίσαρι" ope codicis Ambros. E 100 ita expedienda sunt: Ὁ οὖν πιλᾶτος μετ' οἰκείας αὐτοῦ ἀναφορᾶς ἐξέπεμψεν αὐτὰ (i. e. τὰ ἀπομνήματα de quibus ante scriptum erat) τῷ καίσαρι. Haec autem relatio, cui post demum PILATI *paradosin* quae dicitur supplementi caussa inepte affictam esse apparet (4), in libris manuscriptis tam diversis legitur modis, ut triplex ejus textus graecus, quarto alio accedente latino (THIL. pag. 801 sq.) distingui queat, parum ille quidem castigatus. Alius est enim quem THILO sequitur pag. 803 sqq., a nobis e cod. Ven. XLII. cl. II. descriptus; alius quem idem respicit in notis, a nobis in duobus codd. Ambross. inventus; alius denique *Actis* ss. *App.* PETRI et PAULI a THILONE nuper graece et latine evulgatis insertus legitur, cujus egregium exemplar nos e cod. Ven. cl. VII. n°. 37 hausimus. Quos omnes licet subsidiis nostris passim emendare possimus, tamen tota res ad hanc de evangeliis disputationem parum pertinere censebitur (5).

(4) THILO: » ab insulso homine misere conscriptam" dicit p. 812. COTELERIUS, ut FABRICIUS refert *Cod. apocr.* III. p. 456 et ἀναφορὰν et παράδοσιν tam mendax crassum ineptumque commentum habuit quod legisse pigeret.

(5) *Rescripta* TIBERII quae dicuntur non est quod probem nihil

§. 6.

Denique *evangelii* Nicodemi codicum magnus est numerus, magna item differentia. Thilo ad repraesentandum textum duo inprimis Parisienses secutus est, alterum XIV^ti^, alterum XV^ti^ saeculi. Ex illo priorem, ex hoc posteriorem partem sumsit. Quam duorum textuum satis inter se diversorum conjunctionem laudare non possum, neque Thilonem in priore parte edenda recte abstinuisse puto a diligentiori usu codicis ejus ex quo non dubitavit posteriorem haurire. Ipse reprehensionem veritus, longioribus eum additamentis in priore parte deformatum asserit. Quod ut nonnullis locis verum esse non nego, ita multis aliis et orationis simplicitas et universa antiquitatis species major est in hoc quam in illo ac reliquis. Quod autem de Par. Thilonis codice dico, id multo etiam magis de codice Veneto valet a Thilone non adhibito, ejusdem recensionis teste. Cujus textus ut judicari possit quanta sit praestantia, initium proponamus cum Parisiensi conferentes, paucis insuper de duobus cdd. Ambrosianis exempli caussa additis. Unde illud clarum fore arbitror superesse multa quae critica hujus evangelii studia complere possint.

Διηγησις περι του παθους (Par. D. apud Thilonem et Ven. cl. II. n°. 87 *του τιμιου παθους*) *του κ̅υ̅ ἡμων ἰ̅υ̅ χ̅υ̅* (Par. D. ante *ἰ̅υ̅ χ̅υ̅* addit *και σωτηρος ἡμων*)

---

continere quod nostra interesse videatur. Neque magis, opinor, Lentuli *epistola* huc pertinet.

και (Par. D. et Ven. II. 87: και περι) της ἁγιας αὐτου ἀναστασεως· συγγραφεισα παρα (cod. vitiose περι) ἰουδαιου αἰνεα (Par. D. et Ven. II. 87 ἐνναια) ὀνοματι· ἡν μετηνεγκεν ἐκ (cod. ἐκ male om.) της ἑβραικης γλωττης εἰς την ρωμαΐδα (sic enim corrigendum puto pro ῥωΐδα quod cod. habet. Par. D: ρωμαιδη; Ven. II. 87 ρωμαιδι) διαλεκτον νικοδημος τοπαρχης ῥωμαιος (6).

Μετα το καταλυθηναι την βασιλειαν sqq. ut Par. D. (Thil. *Cod. apocr.* CXXVI), nisi quod est παραδραμοντων, τ. βασιλειαν των ῥωμαιων, ἀποκτιναντος ἐν τη βηθλεεμ et ἐν τη ἰ͞λ͞η͞μ, του ἀννα δε και του, αἰνεαν, ἐχει δε τα. Tum ita exorditur: Του κ͞υ ἡμων ἰ͞υ χ͞υ (ἰ͞υ χ͞υ in Par. deest) πολλα και μεγαλα και ἐξαισια θαυματα ἐν τη ἰουδαια ἐργασαμενου, και δια τουτο φθονηθεντος ὑπο των ἑβραιων, ἡγεμ. και τω πιλατω. In his consentit Ven. cum Par. nisi quod habet ἰουδας pro ὁ ἰουδας et quod omittit ἡγεμονι post πιλατω (Thilo pag. 500). In iis quae sequuntur inde ab οἱ και ἀπελθοντες usque ἐκ θεου (Thil. pag. 504) Ven. habet μητερα μαριαν (Par. μ. μαριαμ): omittit ὁ ἡγεμων ante ὁ πιλατος μαθειν; om. λεγοντες post οὑτοι; habet εἰ τους ἀσθενουντας (Par. ε. τ. ἀσθενεις); item μαγειαις δε et ἐχων παρ' ἑαυτω (Par. μαγεια δε et ἐχ. περι αὐτω); om. ἡν ante ἐκ θεου. Tum pergit: εἰπον οἱ ἑβραιοι· δεομεθα σου της μεγα-

(6) In Ambros. C 92 titulus sic habet: ὑπομνηματα του κ͞υ ἡμων ι͞υ χ͞υ πραχθεντα ἐπι ποντιου πιλατου; in Ambros. A 56: τα ὑπομνηματα του κ͞υ και θ͞υ και σ͞ρ͞ς ἡμων ι͞υ χ͞υ: — Ambros. O 35: Incipit gesta salvatoris quam invenit theodosius magnus in practorio pontii pilati in codd. publicis.

λειοτητος (Par. της μεγαλοτητος σου) μετακαλεσασθαι αὐτον ὡς ἀν γνωρισης ἀκριβως ὁπερ λεγομεν. ἐκβαλων οὐν ὁ πιλατος (Par. ἡγεμων ὁ πιλ.) το μανδυλιον (Par. μανδηλιον ἡτοι το φοκιολιον) αὐτου δεδωκεν ἑνι των ὑπηρετων αὐτου (Par. addit ραχααβ ὀνοματι ἡγουν τω κουρσορι αὐτου) λεγων (Par. addit αὐτω·) ἀπελθε και δειξον τουτο τω ιυ και εἰπε αὐτω· πιλατος ὁ ἡγεμων καλει σε προς αὐτον ἐλθειν. ἀπηλθε τοινυν ὁ ὑπηρετης και εὑρων τον ιν προςεκαλειτο τουτον (Par. εὑρων τον ιησουν ἐν τη ἡμερα κυριακη των ἑβραιων καθημενον etc. vide apud Thil. pag. 507), ἁπλωσας ἐπι γης και το του πιλατου μανδιλιον, και ἐπανω αὐτου πατειν αὐτον προτρεπομενος. ὁπερ ἰδοντες οἱ ἑβραιοι και μεγαλως ἀγανακτησαντες ἠλθον προς τον πιλατον, γογγυζοντες κατ᾽ αὐτου· πως τοσαυτης τιμης τον ιν ἠξιωσας (cod. vitiose ἠξιωσης). και οὗτος τον ἀποσταλεντα ὑπηρετην ἀνερευνησας πως οὕτως (cod. οὑτος) ἐποιησεν, ἀπεκριθη ὁ ὑπηρετης ὁτε με ἀπεστειλες (sic) προς τον ἰουδαιον ἀλεξανδρον, ἐνετυχον τω ιυ εἰςερχομενω την πολην της πολεως, καθημενω ἐπι ὀνου· και εἰδον τους ἑβραιους ὁτι ἐστρωννυον ἐν τη ὁδω τα ἱματια αὐτων, και περιεπάτει ὁ ὀνος ἐπανω των ἱματιων, και ἑτεροι ἐκοπτον κλαδους etc. Haec e cod. Paris. Thilo non attulit; conferenda vero sunt cum ipso textu Thilonis, cui multis locis praestare apertum est. Quod idem de his dico: ἀκουσαντες οἱ ἰουδαιοι τους λογους τουτους εἰπον προς αὐτον· συ δε ῥωμαιος ὠν πως ἐγινωσκες τα παρα των ἑβραιων λεγομενα. ἀπεκριθη ὁ ὑπηρετης· ἑνα ἐκ των ἑβραιων ἠρωτησα και εἰπε μοι ταυτα· εἰπεν ὁ πιλατος· τι λεγει ὡσαννα. εἰπον οἱ ἰουδαιοι· σωσον ἡμας κε. ἀπεκριθη ὁ πιλατος· ἐπει ὁμολογειτε ὁτι οὑτως ἐλεγον οἱ παιδες ὑμων (om. igitur Ven. id quod Par. addit ἀπειροκακοι)·

πως νυν κατηγορειτε etc. Praeterea notandum est, in hoc codice Ven. non inveniri illa ludicra de Juda proditore, quae Thilo ex Parisiensi suo D. et Veneto nostro altero offert Cod. apocr. pag. cxxix sq.

In cod. Ambros. C 92 praemisso titulo *ὑπομνηματα* etc. (v. supra) sic legitur: *Ἐν ταις ἡμεραις ἐκειναις συμβουλιον ποιησαντες οἱ ἰουδαιοι προςηλθον προς πιλατον τον ἡγεμονα κρατουντες και τον ιν, και παρεδωκαν αὐτον αὐτω· ὁ δε ἡγεμων παραλαβων αὐτον κατεκλεισεν, και βουλομενος αὐτον ἀνακριναι παροντων και των ἰουδαιων, ἀπεστειλεν τον κουρσωρα αὐτου ἀγαγειν αὐτον. ὁ δε κουρσωρ αὐτον θεασαμενος προσεκυνησεν αὐτον και το φακιολιον ὁ κατειχεν εἰς την χειρα αὐτου ἡπλωσεν αὐτω χαμαι και εἰπεν αὐτω. κε καλει σε* (cod. *καλῆσαι*) *ὁ ἡγεμων. ὁ δε πιλατος μετακαλεσαμενος τον κουρσωρα λεγει αὐτω· τι τουτο ἐποιησας· λεγει αὐτω ὁ κουρσωρ· κε ἡγεμων, ὁταν ἀπεστειλας με ἐν ἱεροσολυμοις προς ἀλεξανδρον, εἰδον αὐτον καθημενον ἐπι ὀνον, και οἱ παιδες των ἑβραιων ἐκρατουν κλαδους ἐν ταις χερσιν αὐτων και ἐκραζον· ἀλλοι δε ὑπεστρωννυον τα ἱματια αὐτων λεγοντες· σωσον δη ὁ ἐν τοις ὑψιστοις· εὐλογημενος ὁ ἐρχομενος ἐν ὀνοματι κυ. κραζουσιν οἱ ἰουδαιοι* etc.

Porro in cod. Ambros. A 56. » *τα ὑπομνηματα του κυριου*" (v. supra) ab his ordiuntur: *Ἐν ἐτει πεντεκαιδεκατω της ἡγεμονιας τιβεριου καισαρος* (Thilo *καισ. και*) *βασιλεως* (cod. vitiose *βασιλεῦ*) *ῥωμαιων και ἡρωδου βασιλεως της γαλιλαιας, ἐν ἐτει ἐννεακαιδεκατω ἐπι* (Thilo *ἐν ἐνν. ἐτει τῆς*) *της ἀρχης αὐτου τη προ ὀκτω καλανδων ἀπριλλιων, ἡτις ἐστιν εἰκας* (cod. vitiose *νίκας*) *πεμπτη μαρτιου* (Thilo *του μαρτ. μηνος*) *ἐνπατίου* (sic) *ῥόφου και ῥουβελιάνου* (Thilo *ἐν ὑπατείᾳ*

ῥούφου καὶ ῥουβελλίωνος) *ἐν τω τεταρτω ἐτει της διακοσιοστης δευτερας ὀλυμπιαδος· ἐπι* (Thilo *και ἐπι*) *ἀρχιερεως των ἰουδαιων ἰωσιπου και* (Thilo om. *ιωσ. και*. cod. Mon. A : *ἰωσηπου του*) *καϊάφα* (sic)· *και ὁσα μετα τον σταυρον και το παθος του* $\overline{\text{κυ}}$ *ἱστορισας νικοδημος παρεδωκεν* (Thilo *ἱστορησε νικ. και παρ.*) *τοις ἀρχιερευσιν και τοις ἀλλοις ἰουδαιοις, συνεταξεν* (Thilo add. *δε*) *ὁ αὐτος νικοδημος γραμμασιν ἑβραικοις. Ἄννας και καΐφας* (Thilo *καϊάφας*) *και σουμνῆ* (Thilo *νουμῆς*, cod. Monac. *σημής*, cod. Par. *συμεών*. Inter lectiones variantes latinas etiam Somne, ut in cod. Laurentiano, reperitur). *και δοθαί* (Thilo *δοθαή* habet et conjicit *δοσθαί*) *και γαμαλιήλ, ἰούδας, λευίς, νεφθαλήμ, ἀλέξανδρος, ἴακρος* (Thilo *ἰάειρος*) (7) *και οἱ λοιποι των ἰουδαιων οἱτινες ἠλθον προς πιλατον κατα του* $\overline{\text{ἰυ}}$, *κατηγορουντες αὐτου περι πολλων πραξεων λεγοντες· τουτον τον* $\overline{\text{ιν}}$ *εἰδαμεν* $\overline{\text{ὑν}}$ *ἰωσηφ του τεκτονος* etc.

§. 7.

Sed etiam de *latino* hujus evangelii textu quaeritur. Hujus ut antiquissimum ita omnium optimum testem Thilo Einsidlensem habet (cf. *Cod. apocr.* pag. cxxxv). Quod non est ita certum ut nihil ultra quaerendum sit. Ex quinque enim codd. italicis, quos primus examinavi, haud pauca proferri possunt quae invito Einsidlensi maximam probabilitatis speciem habent.

(7) In codicibus duobus Vatic. haec nomina latine ita leguntur: » Annas et Caiphas, summi sacerdotes et doctores, Gamaliel et Hetleb, Judas, Neptalim, Androson, Jairus."

Exemplum a primis evangelii versibus petamus. Praeclare ex ipsius Thilonis sententia in graecis haec habent: *και προςκαλεσαμενος αὐτους ὁ πιλατος λεγει αὐτοις* (cod. Paris. alius: *ἀπεκριθη ὁ πιλατος και εἰπε τοις ἰουδαιοις*)· *Εἰπατε μοι, ὁτι πως δυναμαι ἐγω ἡγεμων ὠν βασιλεα ἐξετασαι; λεγουσιν αὐτω· Ἡμεις οὐ λεγομεν βασιλεα αὐτον εἰναι*, (*εἰναι* cod. Par. alius omittit) *ἀλλ' αὐτος ἑαυτον λεγει* (Cod. apocr. pagg. 504. 506). Ista vero omnia, Thilone teste, in latinis codd. non inveniuntur. At duo quos nos novimus Vaticani codd. eadem verba et quidem ad graeca egregie conformata in hunc modum offerunt: »Tunc respondet Pilatus et dicit Judaeis: Dicite mihi, quomodo possum, cum sim praeses, regem audire? Dixerunt ei Judaei: Nos non dicimus eum regem, sed ipse se dicit filium Dei et regem." — Ceterum in Vaticano uno pariter atque in Parisiensi N°. 3338, de quo Thilo *Cod. apocr.* p. cxli, *iste libellus evangelium Nazaraeorum* nuncupatur; in utroque vero Vaticano textus eodem adornatur exordio, quod tanquam singulare Thilo ex Veneto nostro laudat, l. l. pag. cxl: »Audistis, fratres carissimi." Praeter hos italicos codices reperi fragmenta latina Vindobonae eaque summae antiquitatis. Latent enim in iisdem foliis palimpsestis unde supra fragmenta pauca *evangelii* Thomae dedimus. Exempli caussa afferam haec:

qui transferitis in aliis codicibus seu in grecis vel latinis recordantes mei orate ut propitius mihi siat ds et dimittat peccata mea quae peccabi in ipsum .... (8)

——
In fide procedens et dignus baptismatis sci scrutatus sum -- omnia quae acta sunt per tempus illud quo et o.... (9)
——
[fac]ti sunt jam

quasi mortui et ceciderunt in terra et jejunaverunt usque ad horam nonam et rogaverunt eos nicodemus et joseph annam .... (10)

§. 8.

Quibus de graecis latinisque *evangelii* Nicodemi testibus disputatis restat ut unum addam. Apud orientales etiam Christianos id innotuisse ex variis litterarum monumentis intelligitur, sed Thilo nullamdum orientalem translationem innotuisse significat, cf. l. l. p. clvi sqq. Quod quum scirem, vehementer gaudebam *exemplari copto* a celeberrimo Peyron nuper Taurini in antiquissimis foliis papyraceis invento. Peyron, qua est erga viros litteratos liberalitate, textus copti latinam interpretationem mecum communicavit, unde praemisso titulo exordium et quae id proxime sequuntur adscribam:

Commentarii Servatoris conscripti sub Pontio Pilato *Praeside.* Ego Aenias primum fui protector Hebraeorum et sectator legis; tum gratia

(8) Cf. praef. cv. (9) Cf. praefat. initium.
(10) Cf. c. XVI, ab init.

Servatoris ejusque magnum donum me apprehendit; cognovi JESUM CHRISTUM in sancta scriptura, ad eum accessi ejusque fidem sum amplexatus, ut sancti ejus baptismatis dignum fierem. Primum omnium quaesivi hypomnemata conscripta illis temporibus de Domino nostro JESU CHRISTO quae Judaei vulgarunt aetate PONTII PILATI, et invenimus ea in scriptis hebraicis [exaratis] aetate Domini JESU CHRISTI; ego vero ea in ethnicas litteras converti regnantibus excelsis THEODOSIO qui decimum septimum consulatum agebat et VALENTINIANO consule quintum (11), indictione nona. Quicumque legerit hunc librum et se converterit...... (lacuna est) orate pro me, AENIA minimo servo Domini ut mihi misericors sit meisque peccatis parcat quae in eum admisi. Pax sit omnibus qui haec legent, eorumque domui universae in saeculum. Amen. — Anno nono TIBERII Caesaris regis Romanorum et quum HERODES rex Galilaeae exordiretur annum suum decimum nonum, qui vigesimus quintus dies mensis erat .... consulatus RUFI et RUBELLIONIS anno quarto ducentesimae olympiadis, aetate JOSEPHI qui CAIPHAS erat summus Judaeorum sacerdos, atque hi omnes fuerunt post (12) crucifixionem et ea quae contigerunt Domino nostro JESU CHRISTO. NICODEMUS itaque dux Judaeorum perquisivit ea quae summi sacerdotes

(11) In graeco THILONIS codice est: τοῦ ἕκτον. Correxit τοῦ ἔτου. Suspiceris τὸ ἕκτον.

(12) Fortasse »interfuerunt crucifixioni et iis?"

et reliqui Judaei gesserunt sese CHRISTO opponentes. Porro NICODEMUS ea omnia scripsit ut memoriae mandarentur litteris hebraicis hoc modo. Sequentes quorum nomina sunt ANNAS et CAIPHAS et SUMMIS et DOTHAIM et GAMALIEL et JUDAS et LIBIS et NEPHTALIM et ALEXANDER et HIERIUS et reliqui Judaei, omnes hi venerunt ad PILATUM accusaturi Dominum nostrum JESUM CHRISTUM dicentes: Novimus JESUM esse filium JOSEPHI fabri natum ex MARIA; hic porro dicit se esse Dei filium et regem et violat sabbata etc. etc. — Finiuntur autem hi commentarii illo hymno principum synagogae, sacerdotum, levitarum, universi denique populi, quem duo codd. Parisienses inter cap. XVI et XVII continent, a THILONE in notis tantum sub textu pagg. 664. 665 exhibitum, quippe quem »ab imperito librario adjectum" opinaretur. — Extrema verba sunt ut in altero Parisiensium codicum: »Et quum hymnum dixissent, unusquisque ivit in domum suam in pace. Amen."

Ipsa folia quibus textus coptus continetur nescio an quinto sint saeculo adscribenda. Quanti is vero momenti sit in illustranda hujus evangelii historia, facile patet et jam indicatum est supra.

SYMBOLUM:

Ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβεῖν τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως.